


Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

48. – 108.

LN 502

M

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

PA
N

VNA
rum O
civiles
tore D
ſtri Ac
miſſi

M.

EXC

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

PARTITIONES ORATORIAE M. TVLLII CICERONIS.

VNA CVM CICERONIANArum Orationum Statibus & horum ad res ciuiles accommodatione, á Clariſſimo Oratore Dn. M. Hartvico Smideſtero ex illuſtri Academia Iulia in publicum antehac miſſis, ſeorſim editæ in uſum Scholæ Flensburgenſis,

Per

M. IOHANNEM ANGERSTEIN Brunovic. Rectorem eiusdem.

SLESVIGAE,

EXCVDEBAT NICOLAVS VVEGENER.

ANNO M. D. XCIII.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

EG
LIS
leſc

QVa
iſc
menta
di initi
quam
Nam q

G
Plan
gratia
num C
Cicero
iam ſe
graviſſ
verſo
conſec
tura vi
penuri
nes iſt
gendu
ris m
clariſſ
nex ex
tionib

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

EGREGIAE INDOLIS ET MAGNAE SPEI ADOleſcentibus primæ & ſecundæ claſſium Scholæ Flensb.

S. P. D.

M. Ioh. Angerſtein.

QVandoquidem optimi mihiq; cariſſimi Diſcipuli poſt abſoluta Rhetorices Elementa, vos iterum docendi eſtis artis dicendi initia, & Poeta Ovidius nou minus verè quam pulcrè canit:

Nam quanquam ſapor eſt ablata dulcis in unda,
Gratius ex ipſo fonte bibuntur aquæ.

Plane ego mecum decrevi, favente divina gratia, vobis proponere Dialogum partionum Oratoriarum, quem ſummus Orator Cicero ad Ciceronem filium ſcripſit, cum iam ſenex tot annos in foro dicendis cauſis graviſſimis exercitatus, & abſolutum de univerſo dicendi ſcribendiq; genere iudicium conſecutus eſſet. At vero hoc ipſum impeditura viſa fuit exemplarium ſeorſim excuſorum penuria. Quamobrem coactus fui partitiones iſtas prælo ſubmittere, ijsq; ſimul adiungendum curavi inſignem laborem præceptoris mei Dn. M. Hartvici Smideſteti, viri clariſſimi & diſertiſſimi, quo etiam ipſe ſenex ex omnibus atq; ſingulis Ciceronis orationibus ſtatus perquam dexterè excepit, eorumq;

 rumq;

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

rumq; ad res civiles accommodationem commomſtrauit. Hoc vero ideo à me factum exiſtimabitis, cum ut vos iu Ciceroniarum Orationum lectione haberetis ſtatum & propoſitionem eamq; brevem, nudam, dilucidam & perſpicuam, ad quam omnem orationis curſum dirigeretis, tum ut ſciretis, ubi & quomodo pro laudabili ludi noſtri more in Latinorum thematum tractatione & amplificatione Ciceronem feliciter imitari poſſetis. Perfruemini præclaris duorum Oratorum operis, nec dubitabitis, quin hæ ipſæ veſtra ſtudia egregiè ſint adiuturæ. Dabantur è meo ἀσκητηρίῳ Pridie Calend. Septemb. quo tempore Chriſtianus IV. Daniæ & Norvvegiæ Rex, Dux Slesvicenſis & Holſatiæ, &c. cum aliis aliquot Principibus, Heroibus & Heroinis, in noſtro Flensburgo comitia inſtituebat.

PAR-

PARTITIONES ORATORIAE M. TVLLII CICERONIS.

CICERO FILIVS.

STudeo, mi Pater, latinè ex te audire ea, quæ mihi tu de ratione dicendi græcè tradidiſti, ſi modò tibi eſt ocium, & ſi vis. C. Pater. An eſt, mi Cicero, quod ego malim, quam te quam doctiſſimum eſſe? Ocium autem primum & ſummum eſt, quoniam aliquando Roma exeundi poteſtas data eſt: deinde, iſta tua ſtudia vel maximis occupationibus meis anteferrem libenter. C. Filius. Vis ne igitur, ut tu me græcè ſoles ordine interrogare, ſic ego te viciſſim eiſdem de rebus latinè interrogem? C. P. Sanè, ſi placet. Sic enim & ego te meminiſſe intelligam, quæ accepiſti, & tu ordine audies, quæ requiris. C. P. Quot in partes diſtribuenda eſt omnis doctrina dicendi? C. P. In tres. C. F. Cedô, quas? C. P. Primum in ipſam vim oratoris, deinde in orationem, tum in quæſtionem. C. F. In quo eſt ipſa vis? C. P. In rebus & verbis. Sed & res & verba invenienda ſunt

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

& collocanda. Propriè autem in rebus invenire, in verbis eloqui dicitur. Collocare autem & ſi eſt commune, tamen ad inveniendum refertur. Vox, motus, vultus, atq; omnis actio, eloquendi comes eſt earumq; omnium rerum cuſtos eſt memoria. C.F. Quid? orationis quot ſunt partes? C. P. Quatuor, earum duæ valent ad rem docendam, narratio & confirmatio: Ad impellendos animos duæ, primum & peroratio. C. F. Quid? quæſtio quaſnam habet partes? C. P. Infinitam, quam conſultationem appello: & definitam, quam controverſiam nomino. C. F. Quoniam igitur primum eſt invenire oratoris, quid quæret? C. P. Vt inveniat quemadmodum fidem faciat eis, quibus volet perſuadere, & quemadmodum motum eorum animis afferat. C. F. Quibus rebus fides fit? C. P. Argumentis, quæ ducuntur ex locis, aut in reipſa inſitis, aut aſſumptis. C. F. Quos vocas locos? C. P. Eos, in quibus latent argumenta. C. F. Quid eſt argumentum? C. P. Probabile inventum ad faciendam fidem. C. F. Quomodo igitur duo genera iſta dividis? C. P. Qaæ ſine arte putantur, ea remota appello, ut teſtimonia. C. F. Quid in-

ſita?

ſita? C. P. Quæ inhærent in ipſa re. C. F. Et teſtimoniorum quæ ſunt genera? C. P. Divinum, & humanum. Divinum, ut oracula ut auſpicia, ut vaticinationes, & reſponſa Sacerdotum, auſpicum, coniectorum. Humanum, quod ſpectatur ex autoritate, & ex voluntate, & ex oratione aut libera, aut expreſſa: in quo inſunt ſcripta, pacta, promiſſa, iurata, quæſita. C. F. Quæ ſunt, quæ dicis inſita? C. P. Quæ infixa ſunt rebus ipſis, tum ex toto, tum ex partibus, tum ex notatione, tum ex ijs rebus, quæ quodammodo affectæ ſunt ad id, de quo quæritur. Et ad id totum, de quo diſſeritur, tum definitio adhibetur, tum partium enumeratio, tum notatio verbi. Ex his autem rebus quæ quoquodammodo affectæ ſunt, ad id, de quo quæritur, alia coniugata appellantur, alia ex genere, alia ex forma, alia ex ſimilitudine, alia ex differentia, alia ex contrario, alia ex coniunctis, alia ex antecedentibus, alia ex conſequentibus, alia ex repugnantibus, alia ex cauſis, alia ex effectibus, alia ex comparatione maiorum, aut parium, aut minorum. Vt definitio, ut contrarium, ut ea, quæ ſunt ipſi, contrariove eius aut ſi-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

milia, aut diſsimilia: aut conſentanea, aut diſſentanea: aut ea, quæ ſunt quaſi coniuncta, aut ea, quæ ſunt quaſi pugnantia inter ſe: aut earum rerum, de quibus agitur, cauſæ: aut cauſarum eventus, id eſt, quæ ſunt effecta de cauſis, ut diſtributiones, ut genera partium, generumvè partes, ut primordia rerum, & quaſi præcurrentia, in quibus ineſt aliquid argumenti: ut rerum contentiones, quid maius, quid par, quid minus, ſit: in quibus aut naturæ rerum, aut facultates comparantur. C. F. Omnibus ne igitur ex his locis argumenta ſumemus. C. P. Imò vero ſcrutabimur, & quæremus ex omnibus: ſed adhibebimus iudicium, ut levia ſemper reijciamus, nonnnnquam etiam communia prætermittamus, & non neceſſaria. C. F. Quoniam de fide reſpondiſti, volo audire de motu. C. P. Loco tu quidem quæris, ſed planius quod vis explicabitur, cum ad orationis ipſius qnæſtionumq; rationem venero. C. F. Quid ſequitur igitur? C. P. cum inveneris, collocare. Cuius in infinita quæſtione ordo eſt idem ferè, quem expoſui locorum. In definita autem adhibenda ſunt, illa etiam, quæ ad motus animorum pertinent.

nent. C F. Quomodo igitur iſta explicas? C. P. Habeo communia præcepta fidem faciendi, & commovendi. Quoniam fides eſt firma opinio, motus autem, animi incitatio aut ad voluptatem, aut ad moleſtiam, aut ad metum, aut ad cupiditatem. Tot enim ſunt motus genera, partes plures generum ſingulorum. Omnem collocationem ad finem accommodo quæſtionis. Nam eſt in propoſito finis, fides: In cauſa, & fides, & motus. Quare cum de cauſa dixero, in qua eſt propoſitum, de utroq; dixero. C. F. Quid habes igitur de cauſa dicere? C. P. Auditorum eam genere diſtingui. Nam aut auſcultator eſt modo, qui audit: aut diſceptator, id eſt, rei ſententiæq; moderator, ita ut delectetur, aut ſtatuat aliquid. Satuit autem aut de præteritis, ut iudex: aut de futuris, ut ſenatus. Sic tria ſunt genera, iudicij, deliberationis, exornationis: quæ, quia in laudationes maximè confertur, proprium habet iam ex eo nomen. C. F. Quas res ſibi proponet in iſtis tribus generibus orator? C. P. Delectationem in exornatione: in iudicio aut ſævitiam, aut clementiam iudicis: in ſuaſione autem, aut ſpem, aut reformidationem deliberantis. C. F. Cur igitur expo-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

nis hoc loco genera controverſiarum? C. P. Vt rationem collocandi ad finem cuiusq; accommodem. C. F. Quonam tandem modo? C. P. Quia quibus in orationibus delectatio finis eſt, varij ſunt ordines collocandi. Nam aut temporum ſervantur gradus, aut generum diſtributiones, aut à minoribus ad maiora aſcendimus, aut à maioribus ad minora dilabimur, aut hæc inæquabili varietate diſtinguimus, cum parva magnis, ſimplicia coniunctis, obſcura dilucidis, læta triſtibus, incredibilia probabilibus inteximus: quæ in orationem cadunt omnia. C. F. Quid? in deliberatione quid ſpectas? C. P. Principia, vel non longa, vel ſæpè nulla. Sunt enim ad audiendum, qui deliberant, ſua cauſa parati. Nec multum ſanè ſæpè narrandum eſt. Eſt enim narratio præteritarum rerum, aut præſentium: ſuaſio autem futurarum. Quare ad fidem & ad motum adhibenda eſt omnis oratio. C. F. Quid? in iudicijs quæ eſt collocatio? C. P. Non eadem accuſatoris & rei: quod accuſator rerum ordinem proſequitur, & ſingula argumenta, quaſi haſta in manu collocata, vehementer proponit: concludit acri-

ter:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

ter: confirmat tabulis decretis, teſtimonijs: accuratiusq; in ſingulis commoratur: perorationisq; præceptis, quæ ad incitandos animos valent, & in reliqua oratione paululum digrediens de curſu dicendi, utitur, & vehementius in perorando. Eſt enim propoſitum, ut iratum efficiat iudicem. C. F. Quid faciendum eſt contra reo? C. P. Omnia longè ſecus. Sumenda principia ad benevolentiam conciliandam. Narrationes amputandæ, quæ lædunt: aut relinquendæ, ſi totæ ſunt moleſtæ. Firmamenta ad fidem poſita, aut per ſe diluenda, aut obſcuranda, aut digreſſionibus obruenda: perorationes autem ad miſericordiam conferendæ. C. F. Semperne igitur ordinem collocandi, quem volumus, tenere poſſumus? C. P. Non ſanè. Nam auditorum aures moderantur oratori prudenti, & provido: & quod reſpuunt, immutandum eſt. C. F. Expone deinceps, quæ ipſius orationis verborumq; præcepta ſunt? C. P. Vnum igitur genus eſt eloquendi ſua ſponte fuſum: alterum verſum, atq; mutatum. Prima vis eſt in ſimplicibus verbis: in coniunctis ſecunda. Simplicia invenienda ſunt: coniuncta collocan-

locan-

locanda ſunt. Et ſimplicia verba partim nativa ſunt, partim reperta. Nativa ea, quæ ſignificata ſunt ſenſu: Reperta, quæ ex his facta ſunt, & novata aut ſimilitudine, aut imitatione, aut inflexione, aut adiunctione verborum. Atq; etiam eſt hæc diſtinctio in verbis, altera natura, tractatione altera. Natura, ut ſint alia conſonantia, graviora, leniora, & quodammodo nitidiora: alia contra. Tractatione autem, cum aut propria ſumuntur rerum vocabula, aut addita ad nomen, aut nova, aut priſca, aut ab oratore modificata & inflexa quodammodo: qualia ſunt ea, quæ transferuntur, aut immutantur: aut ea, quibus tanquam abutimur: aut ea, quæ obſcuramus, quæ incredibiliter tollimus, quæq; mirabilius, quàm ſermonis conſuetudo patitur, ornamus. C. F. Habeo de ſimplicibus verbis: nunc de coniunctione quæro. C. P. Numeri quidem ſunt in coniunctione ſervandi, conſecutioq; verborum. Numeros aures ipſæ metiuntur, ne aut non compleas verbis, quod propoſueris, aut redundes. Conſecutio autem, ne generibus, numeris, temporibus, perſonis, caſibus perturbetur oratio.

Nam

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

Nam ut in ſimplicibus verbis, quod non eſt latinum, ſic in coniunctis, quod non eſt conſequens, vituperandum eſt. Communia autem ſimplicium coniunctorumq; ſunt hæc quinq;, quaſi lumina: dilucidum, breve, probabile, illuſtre, ſuaue. Dilucidum fit uſitatis verbis, proprijs, diſpoſitis aut circumſcriptione concluſa, aut intermiſſione, aut conciſione verborum. Obſcurum autem, aut longitudine, aut contractione orationis, aut ambiguitate, aut inflexione atq; in nutatione verborum. Brevitas autem conficitur ſimplicibus verbis, ſemel una quaq; redicenda, nulli rei, niſi ut dilucide dicas, ſerviendo. Probabile autem genus eſt orationis, ſi non nimis eſt comptum, atq; expolitum: ſi eſt autoritas & pondus in verbis: ſi ſententiæ vel graves, vel aptæ opinionibus hominum, & moribus. Illuſtris autem oratio eſt, ſi & verba gravitate delecta ponuntur, ac tranſlata, & ſuperlata, & ad nomen adiuncta, & duplicata, & idem ſignificantia, atq; ab ipſa actione atq; imitatione rerum non abhorrentia. Eſt enim hæc pars orationis, quæ rem conſtituat penè ante oculos. Is enim maximè ſenſus attingitur, ſed cæteri tamen,

&

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

& maximè mens ipſa moveri poteſt , ſed quæ dicta ſunt de oratione dilucida, cadunt in hanc illuſtrem omnia. Eſt enim plus aliquanto illuſtre , quam illud dilucidum : altero fit, ut intelligamus : altero verò, ut videre videamur. Suave autem genus erit dicendi, primum elegantia, & iucunditate verborum ſonantium , & lenium : deinde coniunctione, quæ neq́ aſperos habeat concurſus, neq́ diſiunctos atq́ hiantes : & ſit circumſcripta non longo anfractu, ſed ad ſpiritum vocis apto : habeatq́ ſimilitudinem, æqualitatemq́ verborum: tum ex contrarijs ſumpta verbis, crebra crebris . paria paribus reſpondeant : relataq́ ad idem verbum, & geminata atq́ duplicata , vel etiam ſæpius iterata ponantur: conſtructioq́ verborum tum coniunctionibus copuletur, tum diſſolutionibus relaxetur. Fit etiam ſuavis oratio, cum aliquid aut inviſum, aut inauditum, aut novum dicas. Delectat enim quicquid eſt admirabile , maximeq́ movet ea, quæ motum aliquem animi miſcet , oratio , quæq́ ſignificat oratoris ipſius amabiles mores, qui exprimuntur aut ſignificando iudicio ipſius ex animo humano , ac liberali : aut inflexione

ſermo-

ſermonis, cum aut augendi alterius, aut minuendi ſui cauſa, alia dici ab oratore, alia exiſtimari videntur, idq; comitate fieri magis, quam vanitate. Sed multa ſunt ſuavitatis præcepta, quæ orationem aut magis obſcuram, aut minus probabilem faciunt. Itaq; etiam hoc loco nobis eſt ipſis, quid cauſa poſtulet, iudicandum C. F. *Reliquum eſt igitur, ut dicas de converſa oratione, atq; mutata.* C P. *Eſt itaq; id genus totum ſitum in commutatione verborum: quæ ſimplicibus in verbis ita tractatur, ut aut ex verbo dilatetur, aut in verbum contrahatur oratio. Ex verbo, cum aut proprium, aut idem ſignificans, aut factum verbum in plura verba diducitur. Ex oratione, cum aut definitio ad unum verbum revocatur, aut aſſumpta verba removentur, aut in circuitus diriguntur, aut in coniunctione fit unum verbum ex duobus. In coniunctis autem verbis triplex adhiberi poteſt commutatio, non verborum, ſed ordinis tantummodo, ut cum ſemel dictum ſit directè, ſicut natura ipſa tulerit, invertatur ordo, & idem quaſi ſurſum verſus, retroq; dicatur, deinde idem interciſè, atq; permiſtè. Eloquendi autem exercitatio maximè in hoc toto convertendi gene-*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

genere verſatur. C F. Actio igitur ſequitur, ut opinor. C. P. Eſt ita: quæ quidem oratori & cum rerum, & cum verborum momentis commutanda maximè eſt. Facit enim & dilucidam orationem, & illuſtrem, & probabilem, & ſuavem, non verbis, ſed varietate vocum, motu corporis, vultu: quæ plurimum valebunt, ſi cum orationis genere conſentient eiusq; vim ac varietatem ſubſequentur. C. F. Nunquid nam de oratore ipſo reſtat? C. P. Nihil ſane præter memoriam, quæ eſt germana literaturæ quodammodo, & in diſsimili genere perſimilis. Nam ut illa conſtat ex notis literarum, & ex eo, in quo imprimuntur illæ notæ: ſic confectio memoriæ tanquam cera locis utitur, & in his imagines, ut literas collocat. C. F. Quoniam igitur vis oratoris omnis expoſita eſt, quid habes de orationis præceptis dicere? C. P. Quatuor eſſe eius partes, quarum prima, & poſtrema ad motum animi valet: Is enim initijs eſt, & perorationibus concitandus. Secunda narratio, & tertia confirmatio fidem facit orationi. Sed amplificatio quanquam habet proprium locum, ſæpè etiam primum, poſtrequidem ferè ſemper: tamen reliquo in curſu

oratio-

orationis adhibenda eſt: maximeq; cum aliquid confirmatum eſt, aut reprehenſum. Itaq; ad fidem quoq; vel plurimum valet. Eſt enim amplificatio vehemens quædam argumentatio, ut illa docendi cauſa ſit, hæc commouendi. C. F. Perge igitur ordine quatuor mihi iſtas partes explicare. C. P. Faciam & à principijs primum ordiar. Quæ quidem ducuntur aut ex perſonis, aut ex rebus ipſis. Sumuntur autem trium rerum gratia, ut amicè, ut intelligenter, ut attentè audiamur. Quorum primus locus eſt in perſonis noſtris, diſceptatorum, adverſariorum: E quibus initia benevolentiæ conciliandæ comparantur, aut meritis noſtris, aut dignitate, aut aliquo genere virtutis, & maximè liberalitatis, officij, iuſtitiæ, fidei: contrarijsq; rebus in adverſarios conferendis, & cnm ijs, qui diſceptant, aliqua coniunctionis aut cauſa, aut ſpe ſignificanda: Et ſi in nos aliquod odium, offenſiove collata ſit, tollenda ea, minuendave, aut diluendo, aut extenuando, aut compenſando, aut deprecando. Intelligenter autem ut audiamur, & attentè, à rebus ipſis ordiendum eſt. Sed facillimè auditor diſcit, & quid agatur intelligit, ſi complectare à principio

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

genus, naturamq́ cauſæ, ſi definias, ſi divi-
das, ſi neq́ prudentiam eius impedias confu-
ſione partium, nec memoriam multitudine:
quæq́ mox de narratione dilucida dicentur,
eadem etiam huc poterunt rectè referri. Vt
attentè autem audiamur, trium rerum ali-
qua conſequemur. Nam aut magna quædam
proponemus, aut neceſſaria, aut coniuncta cum
ipſis, apud quos res agetur. Sit autem hoc
etiam in præceptis, ut ſi quando tempus ipſum
aut res, aut locus, aut interventus alicuius,
aut interpellatio, aut ab adverſario dictum
aliquod, & maxime in perorando, dederit
occaſionem nobis aliquam, ut dicamus aliquid
ad tempus aptè, nec derelinquamus: Et quæ
ſuo loco de amplificatione dicemus, multa ex
his poterunt ad principiorum præcepta trans-
ferri. C. F. Quid? in narratione quæ tan-
dem converſanda ſunt? C. P: Quoniam nar-
ratio eſt rerum explicatio, & quædam quaſi
ſedes, ac fundamentum conſtituendæ fidei, ea
ſunt in ea ſervanda maximè, quæ etiam in
reliquis dicendi ferè partibus: quæ partim
ſunt neceſſaria, partim ſunt aſſumpta ad or-
nandum. Nam ut dilucidè probabiliterq́ nar-
remus, neceſſarium eſt: ſed aſſumimus etiam
ſuavi-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

ſuavitatem. Ergo ad dilucidè narrandum eadem illa ſuperiora explicandi, & illuſtrandi præcepta repetemus, in quibus eſt brevitas. eaq́ ſæpiſſimè in narratione laudatur: de qua ſupra dictum eſt. Probabilis autem erit, ſi perſonis, ſi temporibus, ſi locis, ea quæ narrabuntur, conſentient: ſi cuiusq́ facti, & eventi cauſa ponetur: ſi teſtata dici videbuntur: ſi cum hominum opinione, authoritate, ſi cum lege, cum more, cum religione coniuncta: ſi probitas narrantis ſignificabitur, ſi antiquitas, ſi memoria, ſi orationis veritas, & vitæ fides. Suavis autem narratio eſt, quæ habet admirationes, expectationes, exitus inopinatos, ſi interpoſitos motus animorum, colloquia perſonarum, dolores, iracundias, metus, lætitias, cupiditates. Sed iam ad reliqua pergamus. C. F. Nempe ea ſequuntur, quæ ad faciendam fidem pertinent. C. P. Ita eſt: quæ quidem in confirmationem & in reprehenſionem dividuntur. Nam in confirmando, noſtra probare volumus: in reprehendendo, redarguere contraria. Quoniam igitur omne quod in controverſiam venit, id aut ſit, nec ne ſit, aut ſit, aut quale ſit, quæritur: In primo coniectura valet. in altero

definitio, in tertio ratio. C. F. Teneo iſtam diſtributionem. Nunc coniecturæ locos quæro. C. P. In veriſimilibus, & in proprijs rerum notis poſita eſt tota. Sed appellemus docendi gratia veriſimile, quod plerunq; ita fiat: ut adoleſcentiam procliviorem eſſe ad libidinem. Propriæ autem notæ argumentum, quod nunquam aliter fit certumq; declarat, ut fumus ignem. Veriſimilia reperiuntur ex partibus, & quaſi membris narrationis: Ea ſunt in perſonis, in locis, in temporibus, in factis, in eventis, in rerum ipſarum negotiorumq; naturis. In perſonis, naturæ primum ſpectantur, valetudinis, figuræ, virium, ætatis, marium, fæminarum: atq; hæc quidem in corpore. Animi autem, aut quemadmodum affecti ſunt, virtutibus, vitijs, artibus, inertijs: aut quemadmodum commoti cupiditate, motu, voluptate, moleſtia. Atq; hæc quidem in natura ſpectantur. In fortuna, genus, amicitiæ, liberi, propinqui, affines, opes, honores, poteſtas, divitiæ, libertas, & ea, quæ ſunt ijs contraria. In locis autem & illa naturalia, maritimi, an remoti à mari: plani: an montoſi: leves, an aſperi: ſalubres, an peſtilentes: opaci, an aprici: & illa

illa fortuita, culti, an inculti: celebres, an deſerti: ædificati, an vaſti: obſcuri, an rerum geſtarum veſtigijs nobilitati: conſecrati, an profani. In temporibus autem, præſentia, & præterita, & futura cernuntur. In his ipſis vetuſta, recentia, inſtantia, paulo poſt, aut aliquando futura. Inſunt etiam in temporibus illa, quæ temporis quaſi naturam notant, ut hyems, ver, æſtas, autumnus: aut anni tempora, ut menſis, ut dies, ut nox, hora, tempeſtas, quæ ſunt naturalia. Fortuita autem, ſacrificia, feſti dies, nuptiæ. Iam facta & eventus, aut conſilij ſunt, aut imprudentiæ: quæ eſt, aut in caſu, aut in quadam animi permotione. Caſu, cum aliter accidit, ac putatum ſit. Permotione, cum aut oblivio, aut error, aut metus, aut aliqua cupiditatis cauſa permovit. Eſt etiam in imprudentia neceßitas ponenda. Rerum autem bonarum & malarum tria ſunt genera. Nam aut in animis, aut in corporibus, aut extra eſſe poſſunt. Huius igitur materiæ ad argumentum ſubiectæ, perluſtrandæ animo partes erunt omnes, & ad id, quod agetur, ex ſingulis coniectura capienda. Eſt etiam genus argumentorum aliud, quod ex facti veſtigijs

ſumitur, ut telum, cruor, clamor editus, titubatio, permutatio coloris, oratio inconſtans, tremor, & eorum aliquid, quod ſenſu percipi poßit: etiamſi præparatum aliquid, ſi communicatum cum aliquo, ſi poſtea viſum, auditum, indicatum. Veriſimilia autem partim ſingula movent ſuo pondere, partim, etiamſi videntur eſſe exigua per ſe, multum tamen, cum ſunt coacervata, proficiunt. Atq; in his veriſimilibus inſunt nonnunquam etiam certæ rerum & propriæ notæ. Maximam autem facit fidem ad ſimilitudinem veri primum exemplum, deinde introducta rei ſimilitudo: fabula etiam nonnunquam, etſi ſit incredibilis, tamen homines commovet. C. F. Quid? definitionis quæ ratio eſt, & quæ via? C. P. Non dubium eſt id quidem, quin definitio genere declaretur, & proprietate quadam, aut etiam communium frequentia, ex quibus proprium quid ſit eluceat. Sed quoniam de proprijs oritur plerunq; magna diſſenſio, definiendum eſt ſæpè ex contrarijs, ſæpè etiam ex dißimilibus, ſæpè ex paribus. Quamobrem deſcriptiones quoq; ſunt in hoc genere ſæpè aptæ, & enumeratio conſequentium: In primiſq; commovet explicatio vocabuli, ac nominis.

minis.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

minis. C. F. Sunt expoſita iam verè ea, quæ de facto, quæq; de facti appellatione quæruntur. Nempe igitur ea reſtant, quæ, cum factum conſtet, & nomen, qualia ſint, vocatur in dubium. C. P. Eſt ita, ut dicis. C. F. Quæ ſunt igitur in eo genere partes? C. P. Aut iure factum depellitur, aut ulciſcendi doloris gratia, aut pietatis, aut pudicitiæ, aut religionis, aut patriæ nomine, aut deniq; neceßitate, inſcitia, caſu. Nam quæ motu animi, & perturbatione facta ſine ratione ſunt, ea defenſionem contra crimen in legitimis iudicijs non habent: in liberis diſceptationibus habere poſſunt. Hoc in genere, in quo quale ſit, quæritur, ex controverſia, iure & rectè ne actum ſit, quæri ſolet; quorum diſputatio ex locorum deſcriptione ſumenda eſt. C. F. Age ſis ergo, quoniam in confirmationem & reprehenſionem diviſeras orationis fidem, & dictum de altero eſt: Expone nunc de reprehendendo. C. P. Aut totum eſt negandum, quod in argumentatione adverſarius ſumpſerit, ſi fictum aut falſum eſſe poßis dicere: aut redarguenda ea, quæ pro veriſimilibus ſumpta ſunt. Primum dubia ſumpta eſſe pro certis: deinde etiam in

 per-

perſpicuè falſis eadem poſſe dici: tum ex ijs, quæ ſumpſerint, non effici quæ velint. Accedere autem oportet ad ſingula: ſic uaiverſa frangentur. Commemoranda ſunt etiam exempla, quibus ſimili in diſputatione creditum non ſit: conquerenda conditio communis periculi, ſi ingenijs hominum criminoſorum ſit expoſita vita innocentium. C. F. Quoniam unde inveniuntur, quæ ad fidem pertinent habeo: quemadmodum in dicendo ſingula tractentur, expecto. C. P. Argumentationem quærere videris, quæ eſt argumenti explicatio: quæ ſumpta eſt ex ijs locis, qui ſunt expoſiti, conficienda & diſtinguenda dilucidè eſt. C. F. Planè iſtuc ipſum deſidero. C. P. Eſt ergo (ut ſupra dictum eſt) explicatio argumenti argumentatio: ſed ea conficitur, cum ſumpſeris aut non dubia, aut probabilia, ex quibus id efficias, quod aut dubium, aut minus probabile per ſe videtur. Argumentandi autem duo ſunt gennra, quorum alterum ad fidem directo ſpectat. Alterum ſe inflectit ad motum. Dirigitur cum propoſuit aliquid, quod probaret, ſumpſitq́ ea, quibus uteretur: atq́ his confirmatis, ad propoſitum ſeſe retulit, atq́ concluſit. Illa autem altera ar-

gumen-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

gumentatio, quaſi retro, & contra prius ſumit quæ vult, eaq; confirmat. deinde id, quod proponendum fuit, permotis animis iacit ad extremum. Eſt autem illa varietas in argumentando, & non iniucunda diſtinctio, ut cum interrogamus noſmetipſos, aut percunctamur, aut imperamus, aut optamus: quæ ſunt cum alijs compluribus ſententiarum ornamenta. Vitare autem ſimilitudinem poterimus, non ſemper à propoſito ordientes, & ſi non omnia confirmando diſputabimus: breviterq; interdum, quæ erunt ſatis aperta, ponemus: quodq; ex his efficietur, ſi id apertum ſit, non habebimus neceſſe ſemper concludere. C. F. Quid illa, quæ ſine arte appellantur, quæ iam dudum aſſumpta dixiſti, ecquonam modo, ecquonam loco artis indigent? C. P. Illa verò indigent: & nec eò dicuntur ſine arte, quod ita ſunt: ſed quod ea non parit oratoris ars, ſed foris ad ſe delata, tamen arte tractat, & maximè in teſtibus. Nam de toto genere teſtium, quam id ſit infirmum, ſæpè dicendum eſt: & argumenta rerum eſſe propria: teſtimonia voluntatum: utendumq; eſt exemplis, quibus teſtibus creditum non ſit: & de ſingulis teſtibus, ſi na-

ſi natura vani, ſi leves, ſi cum ignominia, ſi ſpe, ſi metu, ſi iracundia, ſi miſericordia impulſi, ſi præmio, ſi gratia adducti. comparandiq; ſuperiore cum autoritate teſtium, quibus tamen creditum non ſit.

Sæpè etiam quæſtionibus reſiſtendum eſt, quòd & dolorem fugientes multi in tormentis ementiti perſæpè ſunt, moriq; maluerunt falſum fatendo, quam verè inficiando dolore. Multi etiam ſuam vitam neglexerunt, ut eos, qui his cariores, quam ipſi ſibi eſſent, liberarent. Alij autem aut natura corporis, aut conſuetudine dolendi, aut metu ſupplicij, aut mortis, vim tormentorum pertulerunt. Alij ementiti ſunt in eos, quos oderant. Atq; hæc exemplis firmanda ſunt. Neq; eſt obſcurum, quin, quoniam in utraq; parte ſunt exempla, & item ad coniecturam faciendam loci, in contrarijs contraria ſint ſumenda. Atq; etiam incurrit alia quædam in teſtibus, & in quæſtionibus ratio. Sæpè enim ea, quæ dicta ſunt, ſi aut ambiguè, aut inconſtanter, aut incredibiliter dicta ſunt, aut etiam aliter ab alio dicta, ſubtiliter reprehenduntur. C. F. Extrema tibi pars reſtat orationis, quæ poſita in perorando eſt, de qua ſanè velim audire. C. P.

Facili-

Facilior eſt explicatio perorationis. Nam eſt diviſa in duas partes, amplificationem & enumerationem. Augendi autem & hic eſt proprius locus in perorando: & in curſu ipſo orationis declinationes ad amplificandum dantur, confirmata re aliqua, aut reprehenſa. Eſt igitnr amplificatio gravior quædam affirmatio, quæ motu animorum conciliet in dicendo fidem. Ea & verborum genere conficitur, & rerum. Verba ponenda ſunt, quæ vim habeant illuſtrandi, nec ab uſu ſint abhorrentia, gravia, plena, ſonantia, iuncta, facta, cognominata, non vulgata, ſuperlata, in primisq́; traſlata: nec in ſingulis verbis, ſed in continentib. ſoluta, quæ dicuntur ſine coniunctione, ut plura videantur. Augent etiam relata verba, iterata, duplicata, & ea quæ aſcendunt gradatim ab humilioribus verbis ad ſuperiora. omninoq́; ſemper quaſi naturalis & non explanata oratio. ſed gravibus referta verbis, ad augendum accommodatior. Hæc igitur in verbis, quibus actio vocis, vultus, et geſtus congruens, apta ad animos permovendos accommodata eſt. Sed & in verbis, & in actione cauſa erit tenenda, & pro re agenda. Nam hæc, quia videntur perabſurda, cum graviora ſunt, quam cauſa,

diligen-

diligenter ferè, quid quenq; deceat, iudican-
dum eſt. Rerum amplificatio ſumitur eiſdem
locis omnibus, quibus illa, quæ dicta ſunt ad
fidem: maximeq; definitiones valent congloba-
tæ, & conſequentium frequentatio, & con-
trariarum, & diſsimilium, & inter ſe pu-
gnantium rerum conflictio, & cauſæ, & ea
quæ ſunt de cauſis orta, maximeq; ſimilitudi-
nes & exempla: fictæ etiam perſonæ, muta
deniq; loquantur, omninoq; ea ſunt adhibenda,
ſi cauſa patitur, quæ magna habentur: quo-
rum eſt duplex genus. Alia enim magna na-
tura videntur, alia uſu. Natura, ut cæleſtia,
ut divina, ut ea, quorum obſcuræ cauſæ, ut
in terris mundoq; admirabilia quæ ſunt, ex
quibus ſimilibusq; ſi attendas, ad augendum
permulta ſuppetunt. Vſu, quæ videntur ho-
minibus aut prodeſſe, aut vehementius obeſſe:
quorum ſunt genera ad amplificandum tria.
Nam aut caritate moventur homines, ut deo-
rum, ut patriæ, ut parentum: aut amore,
ut fratrum, ut coniugum, ut liberorum, ut
familiarium: aut honeſtate, ut virtutum,
maximeq; earum, quæ ad communionem ho-
minum, & liberalitatem valent. Ex ijs &
cohortationes ſumuntur ad ea retinenda, &
in

in eos, à quibus ea violata ſunt, odia incitantur, & miſeratio naſcitur. Proprius locus augendi in ijs rebus aut amiſſis, aut amittendi periculo. Nihil eſt enim tam miſerabile, quam ex beato miſer. Et hoc totum quidem moveat, ſi bona ex fortuna quis cadat: & à quorum caritate divellatur, quæ amittat, aut amiſerit, in quibus malis ſit, futurusvè ſit, exprimatur breviter. Cito enim areſcit lacryma, præſertim in alienis malis. Nec quicquam in amplificatione nimis enucleandum eſt. Minuta enim eſt omnis diligentia: hic autem locus grandia requirit. Illud iam eſt Iudicij, quo quaq; in cauſa genere utamur augendi. In illis enim cauſſis, quæ ad delectationem exornantur, ij loci tractandi ſunt, qui movere poſſunt expectationem, admirationem, voluptatem. In cohortationibus autem bonorum ac malorum enumerationes & exempla valent plurimum. In iudicijs, accuſatori ferè, quæ ad iracundiam: reo plerunq;, quæ ad miſericordiam pertinent. Nonnunquam tamen accuſator miſericordiam movere debet, & defenſor iracundiam. Enumeratio reliqua eſt, nonnunquam laudatori, ſuaſori non ſæpè, accuſatori ſæpius quam

reo

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

reo neceſſaria. Huius ipſa tempora duo ſunt ſi aut memoriæ diffidas eorum, apud quos agas, vel intervallo temporis, vel longitudine orationis: aut frequentantis firmamentis orationis, & breviter expoſitis, vim eſt habitura cauſa maiorem.

Et rea rarius utendum eſt, quod ponenda ſunt contraria, quorum diſſolutio in brevitate latebit, aculei pungent. Sed erit in enumeratione vitandum, ne oſtentatio memoriæ ſuſcepta videatur eſſe puerilis. Id effugiet, qui non omnia minima repetet, ſed brevia ſingula attingens, pondera rerum ipſa comprehendet. C. F. Quoniam & de ipſo oratore, & de oratione dixiſti, expone eum mihi nunc, quem ex tribus extremum propoſuiſti quæſtionis locum. C. P. Duo ſunt, ut initio dixi, quæſtionum genera: quorum alterum finitum temporibus & perſonis, controverſiam & cauſam appello: alterum infinitum, nullis neq; perſonis, neq; temporibus notatum, propoſitum voco. Sed eſt conſultatio quaſi pars cauſæ quædam, & controverſiæ. Ineſt enim infinitum in definito, & ad illud tamen referuntur omnia. Quamobrem prius de propoſito dicamus, cuius genera ſunt duo: Cognitionis alterum:

eius

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

eius ſcientia eſt finis, ut verine ſint ſenſus: alterum actionis, quod refertur ad efficiendum quid: ut ſi quæratur, quibus officijs amicitia colenda ſit. Rurſus ſuperiores genera ſunt tria: Sit nec ne, quid ſit, quale ſit. Sit nec ne, ut: ius in natura ſit, an in more. Quid autem ſit: ſit ne ius id, quod maiori parti ſit utile. Quale autem ſit: iuſtè vivere ſit nec ne utile. Actionis autem duo ſunt genera. Vnum ad perſequendum aliquid, aut declinandum: ut quibus rebus adipiſci gloriam poßis, aut quomodo invidia vitetur: Alterum, quod ad aliquod commodum uſumq́; refertur, ut quemadmodum ſit Reſp. adminiſtranda, aut quemadmodum in paupertate vivendum. Rurſus autem ex cognitionis conſultatione, ubi ſit, nec ne ſit, aut fuerit, futurumve ſit, quæritur, unum genus eſt quæſtionis, poßit ne aliquid effici: ut cum quæritur, ecquisnam perfectè ſapiens eſſe poßit. Alterum, quemadmodum quicq; fiat, ut quonam pacto virtus pariatur, naturane, an ratione, an uſu. Cuius generis ſunt omnes, in quibus ut in obſcuris naturalibusq́; quæſtionibus cauſæ rationesq́; rerum explicantur. Illius autem generis,

in

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

in quo quid ſit id, de quo agitur, quæritur, duo ſunt genera: quoin altero diſputandum eſt, aliud an idem ſit, ut pertinacia & perſeverantia. In altero autem deſcriptio generis alicuius, & quaſi imago exprimenda eſt, ut qualis ſit avarus, aut quid ſit ſuperbia. Tertio autem in genere, in quo quale ſit, quæritur: aut de honeſtate, aut de utilitate, aut de æquitate dicendum eſt. De honeſtate ſic, ut honeſtum ne ſit pro amico periculum, aut invidiam ſubire. De utilitate autem ſic, ut ſit ne utile in Repub. adminiſtranda verſari. De æquitate verò ſic, ut ſit ne æquum amicos cognatis anteferre. Atq; in hoc eodem genere, in quo quale ſit, quæritur, exoritur aliud quoddam diſputandi genus. Non enim ſimpliciter ſolum quæritur, quid honeſtum ſit, quid utile, quid æquum, ſed etiam ex comparatione, quid honeſtius, quid utilius, quid æquius, atq; etiam quid honeſtiſſimum, quid utiliſſimum, quid æquiſſimum: cuius generis illa ſunt, quæ præſtantiſſima ſit dignitas vitæ. Atq; ea quidem, quæ dixi, cognitionis ſunt omnia. Reſtant actionis, cuius alterum eſt percipiendi genus, quod ad rationem officij

per-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

pertinet : ut quemadmodum colendi ſint parentes. Alterum autem ad ſedandos animos, & oratione ſanandos, ut in conſolandis mœroribus, ut in iracundia comprimenda, aut in timore tollendo, aut in cupiditate minuenda, cui quidem generi contrarium eſt diſputandi genus ad eosdem illos animi motus, quod in amplificanda oratione ſæpè faciendum eſt, vel gignendos, vel concitandos. Atq; ferè hæc eſt partitio conſultationum. C. F. Cognovi, ſed quæ ratio eſt in his inveniendi, & diſponendi, requiro.

C. P. Quid tu? Aliamne cenſes, & non eandem eſſe, quæ eſt expoſita, ut ex eiſdem locis ad fidem, & ad inveniendum ducantur omnia? Collocandi autem quæ eſt expoſita in alijs ratio eadem, huc transfertur. Cognita igitur omni diſtributione propoſitarum conſultationum, controverſiarum & cauſarum genera reſtant omnino. Et earum quidem forma duplex eſt : quarum altera delectationem ſectatur aurium : alterius, ut obtineat, probet & efficiat quod agit, omnis eſt ſuſcepta contentio. Itaq; illud ſuperius exornatio dicitur : quod cum latum genus eſſe poteſt, ſaneq; varium, unum ex eo delegimus, quod ad lau-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

ad laudandos claros viros ſuſcepimus, & ad improbos vituperandos. Genus enim nullum eſt orationis, quod aut uberius ad dicendum, aut utilius civitatibus eſſe poßit, aut in quo magis orator in cognitione virtutum vitiorumq; verſetur. Reliquum autem genus cauſarum, aut in proviſione poſteri temporis, aut in præteriti diſceptatione verſatur: quorum alterum deliberationis eſt, alterum iudicij. Ex qua partitione tria genera cauſarum extiterunt, Vnum, quod à meliori parte laudationis eſt appellatum; deliberationis alterum: tertium iudiciorum. Quamobrem de primo primum, ſi placet, diſputemus. C. F. Mihi verò placet. C. P. Ac laudandi vituperandiq; rationes, quæ non ad benè dicendum ſolum, ſed etiam ad honeſtè vivendum valent, exponam breviter, atq; à principijs exordiar & laudandi & vituperandi. Omnia enim ſunt profectò laudanda, quæ coniuncta cum virtute ſunt; & quæ cum vitijs, vituperanda. Quamobrem finis alterius eſt honeſtas, alterius turpitudo. Conficitur autem genus hoc dictionis, narrandis exponendisq; factis, ſine ullis argumentationibus, ad animi motus leniter tractandos magis quàm

ad fi-

ad fidem faciendam aut confirmandam accommodatè. Non enim dubia firmantur, ſed ea quæ certa aut pro certis poſita ſunt, augentur. Quamobrem ex ijs, quæ ante dicta ſunt, & narrandi & augendi præcepta repetentur. Et quoniam in his cauſis omnis ratio ferè ad voluptatem auditoris, & ad delectationem refertur, utendum erit his in oratione ſingulorum verborum inſignibus, quæ habent plurimum ſuavitatis: id eſt, ut factis verbis, aut vetuſtis, aut tranſlatis frequenter utamur: & in ipſa conſtructione verborum, ut paria paribus, & ſimilia ſimilibus ſæpè referantur, ut contraria, ut geminata, ut circumſcripta numeroſè, non ad ſimilitudinem verſuum, ſed ad explendum aurium ſenſum apto quaſi quodam verborum modo. Adhibendaq; frequentius etiam illa ornamenta rerum ſunt, ſive quæ mirabilia, nec opinata: ſive ſignificata monſtris, prodigijs, oraculis: ſive quæ videbuntur ei, de quo agimus, accidiſſe divina atq; fatalia. omnis enim expectatio eius, qui audit, & admiratio, & improviſi exitus habent aliquam in audiendo voluptatem. Sed quoniam in tribus generibus bona malavè verſantur, externis, corporis & animi.

Prima ſunt externa, quæ ducuntur à genere: quo breviter modiceq; laudato, aut ſi erit infame, prætermiſſo: ſi humile vel præterito, vel ad augendum eius quem laudas gloriam tacto: deinceps, ſi res patiatur, de fortunis erit, & facultatibus dicendum: poſtea de corporis bonis: in quibus quidem, quæ virtutem maximè ſignificat, facillimè forma laudatur. Deinde eſt ad facta veniendum: quorum collocatio triplex eſt: aut enim temporum ſervandus eſt ordo: aut in primis recentiſsimum quodq; dicendum: aut multa & varia facta in propria virtutum genera ſunt dirigenda. Sed hic locus virtutum atq; vitiorum latiſsimè patens, ex multis & varijs diſputationibus nunc in quandam anguſtam & brevem concludetur. Eſt igitur vis virtutis duplex: Aut enim ſcientia cernitur virtus, aut actione. Nam quæ prudentia, quæ calliditas, quæq; graviſsimo nomine ſapientia appellatur, hæc ſcientia pollet una. Quæ vero moderandis cupiditatibus, regendisq; animi motibus laudatur, eius eſt munus in agendo, cui temperantiæ nomen eſt. Atq; illa prudentia in ſuis rebus, domeſtica: in publicis, civilis appellari ſolet. Temperantia autem in

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

ſuas itidem res, & in communes diſtributa eſt: duobusq́; modis in rebus commodis diſcernitur: & ea quæ abſunt, non expetendo: & ab ijs quæ in poteſtate ſunt, abſtinendo. In rebus autem incommodis eſt itidem duplex. Nam quæ venientibus malis obſtat, fortitudo: quæ quod iam adeſt, tolerat & perfert, patientia nominatur. Quæ autem hoc uno genere complectitur, magnitudo animi dicitur: cuius eſt liberalitas in uſu pecuniæ, ſimulq́; altitudo animi in capiendis incommodis, & maximè iniurijs, & omne quod eſt eius generis, grave, inſedatum & turbulentum. In communione autem quæ poſita pars eſt, iuſtitia dicitur: eaq́; erga deos religio, erga parentes pietas, vulgo autem bonitas, creditis in rebus fides, in moderatione animadvertendi lenitas, amicitia in benevolentia nominatur. Atq́; hæ quidem virtutes cernuntur in agendo. Sunt autem aliæ quaſi miniſtræ, comitesq́; ſapientiæ, quarum altera, quæ ſint in diſputando vera atq́; falſa, quibusq́; poſitis quid ſequatur, diſtinguit & iudicat: quæ virtus omnis in ratione ſcientiaq́; diſputandi ſita eſt: altera autem oratoria, nihil enim eſt aliud eloquentia, niſi copioſè

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

loquens ſapientia : quæ ex eodem hauſta genere, quo illa quæ in diſputando, uberior eſt atq́; latior. & ad motus animorum, vulgiq́; ſenſus accommodatior. Cuſtos vero virtutum omnium, dedecus fugiens, laudemq́; maximè conſequens, verecundia eſt. Atq́; hi ſunt quidem ferè quaſi quidam habitus animi, ſic affecti & conſtituti, ut ſint ſinguli inter ſe proprio virtutis genere diſtincti : à quibus ut quæq́; res geſta eſt, ita ſit honeſta neceſſe eſt, ſummeq́; laudabilis. Sunt autem alij quidam perfecti animi habitus, ad virtutem quaſi præculti & præparati rectis ſtudijs & artibus : ut in ſuis rebus ſtudia literarum, ut numerorum ac ſonorum, ut menſuræ, ut ſyderum, ut equorum, ut venandi, ut armorum. In communibus propenſiora ſtudia in aliquo genere virtutis colendo, aut divinis rebus deſerviendo, aut parentibus, amicis, hoſpitibus, præcipuè atq; inſigniter diligendis. Atq́; hæc quidem virtutum : vitiorum autem ſunt genera contraria.

Cernenda autem ſunt diligenter, ne fallant ea nos vitia, quæ virtutem videntur imitari. Nam & prudentiam malitia, & temperantiam immanitas in voluptatibus aſpernandis, &

& magnitudinem animi ſuperbia in animis extollendis, & deſpicientia in contemnendis honoribus, & liberalitatem effuſio, & fortitudinem audacia imitatur: & patientiam duritia immanis, & iuſtitiam acerbitas, & religionem ſuperſtitio, & lenitatem mollitia animi, & verecundiam timiditas, & illam diſputandi prudentiam concertatio, captatioq́ verborum, & hanc oratoriam vim inanis quædam profluentia loquendi. Studijs autem bonis ſimilia videntur ea, quæ ſunt in eodem genere nimia. Quamobrem omnis vis laudandi, vituperandiq́ ex his ſumetur virtutum vitiorumq́ partibus: Sed in toto quaſi contextu orationis hæc erunt illuſtranda maximè, quemadmodum quisq́ generatus, quemadmodum educatus, quemadmodum inſtitutus moratusq́ fuerit: & ſi quid cui magnum aut incredibile acciderit, maximeq́ ſi id divinitus accidiſſe potuerit videri, tum quod quisq́ ſenſerit, dixerit, geſſerit: ad ea quæ propoſita ſunt virtutum genera accommodabuntur, ex illisq́ ijsdem inveniendi locis cauſæ rerum, & eventus, & conſequentia requirentur. Neq́ verò mors eorum, quorum vita laudabitur, ſilentio

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

præteriri debebit: ſi modo quid erit animadvertendum, aut in ipſa genere mortis, aut in ijs rebus, quæ poſt mortem erant conſecutæ. C. F. Accepi iſta, didiciq́; breviter non ſolum quemadmodum laudarem alterum, ſed etiam quemadmodum eniterer, ut poſſem ipſe iure laudari. Videamus igitur deinceps in ſententia dicenda, quam viam & quæ præcepta teneamus. C. P. Eſt igitur in deliberando finis utilitas, ad quem omnia referuntur in conſilio dando, ſententiaq́; dicenda: ut illa prima ſunt ſuaſori aut diſſuaſori videnda, quid aut poßit fieri, aut non poßit: & quid aut neceſſe ſit, aut non neceſſe. Nam etſi quid effici non poteſt, deliberatio tollitur, quamvis utile ſit: & ſi quid neceſſe eſt, (neceſſe autem id eſt, ſine quo ſalvi liberive eſſe non poſſumus) id eſt reliquis & honeſtatibus in civili ratione, & commodis anteponendum. Cum autem quæritur, quid fieri poßit, videndum etiam eſt, quam facilè poßit. Nam quæ per difficilia ſunt, perinde habenda ſæpè ſunt, ac ſi effici non poßint. Et cum de neceßitate attendemus, & ſi aliquid non neceſſarium videbitur, videndum tamen erit, quam ſit magnum. Quod

enim

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

enim permagni intereſt, pro neceſſario ſæpè habetur. Itaq; cum conſtet hoc genus cauſarum ex ſuaſione & diſſuaſione: ſuaſori proponitur ſimplex ratio, ſi & utile eſt, & fieri poteſt, fiat. Diſſuaſori duplex: una, ſi non utile eſt, ne fiat: altera, ſi fieri non poteſt: ne ſuſcipiatur. Sic ſuaſori utrunq; docendum eſt, diſſuaſori alterum infirmare ſat eſt. Quare quoniam in his verſatur omne conſilium duobus, de utilitate ante dicamq; quæ in diſcernendis bonis malisq; verſatur. Bonorum autem partim neceſſaria ſunt, ut vita, pudicitia, libertas, ut liberi, coniuges, germani, parentes: partim non neceſſaria, quorum alia ſunt per ſe expetenda, ut ea quæ ſita ſunt in officijs atq; virtutibus. Alia, quod aliquid commodi efficiunt, ut opes & copiæ. Eorum autem quæ propter ſe expetuntur, partim honeſtate ipſa, partim commoditate aliqua expetuntur. Honeſtate, ea quæ proficiſcuntur ab ijs virtutibus, de quibus paulò ante eſt dictum: quæ ſunt laudabilia ipſa per ſe. Commoditate autem aliqua, quæ ſunt in corporis aut fortunæ bonis expetenda. Quorum alia ſunt quaſi quodammodo cum honeſtate coniuncta, ut honos,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

*ut gloria: Alia diverſa, ut vires, forma,
valetudo, nobilitas, divitiæ, clientelæ. Eſt
etiam quaſi quædam materies ſubiecta hone-
ſtati, quæ maximè ſpectatur in amicitijs:
amicitiæ autem caritate & amore cernuntur.
Nam cum deorum, tum parentum patriæq;
cultus, eorumq; hominum, qui aut ſapien-
tia, aut opibus excellunt, ad caritatem re-
ferri ſolet. Coniuges autem & liberi, &
fratres, & alij, quos uſus familiaritasq;
coniunxit, quanquam etiam caritate ipſa, ta-
men amore maximè continentur. In his igi-
tur rebus, cum bona ſint, facile eſt intelle-
ctu, quæ ſint contraria. Quod ſi ſemper
optima tenere poſſemus, haud ſanè, quoniam
quidem ea perſpicua ſunt, conſilio multum
egeremus. Sed quia temporibus, quæ vim
habent maximam, perſæpè evenit, ut utili-
tas cum honeſtate certet, earumq; rerum
contentio plerunq; deliberationes efficit, ne
aut opportuna propter dignitatem, aut ho-
neſta propter utilitatem relinquantur, ad
hanc difficultatem explicandam præcepta re-
feramus. Et quoniam non ad veritatem ſo-
lum, ſed etiam ad opiniones eorum qui audi-
unt, accommodanda eſt oratio, hoc primum in-*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

telligamus, hominum duo eſſe genera: alterum indoctum & agreſte, quod anteferat ſemper utilitatem honeſtati: alterum expolitum, quod rebus omnibus dignitatem anteponat. Itaq; huic generi laus, honor, gloria, fides, iuſtitia, omnisq; virtus: illi autem alteri quæſtus emolumentum, fructusq; proponitur, atq; etiam voluptas, quæ maxima eſt inimica virtuti, boniq; naturam fallaciter imitando adulterat: quam immaniſſimus quisque acerrimè ſequitur, neq; ſolum honeſtis rebus, ſed etiam neceſſarijs anteponit. In ſuadendo, cum ei generi hominum conſilium des, ſæpè ſanè laudanda eſt. Et illud videndum, quanto magis homines mala fugiant, quam ſequantur bona. Nam neq; honeſta tam expetunt, quam devitant turpia. Quis enim honorem, quis gloriam, quis laudem, quis ullum decus tam unquam expetat, quam ut igno miniam, infamiam, contumeliam, dedecus fugiat? quarum rerum dolor gravis eſt. Eſt genus hominum ad honeſtatem natum, malo cultu, pravisq; opinionibus corruptum. Quare in cohortando, atq; ſuadendo propoſitum quidem nobis erit illud, ut doceamus qua vi bona conſequi, malaq; vitare poſſimus. Sed apud homines benè inſtitutos plurimum de laude,

& de

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

& de honeſtate dicemus: maximeq; ea virtutum genera tractabimus, quæ in communi hominum utilitate tuenda augendaq; verſantur. Sin apud indoctos imperitosq; dicemus, fructus, emolumenta, voluptates, vitationesq; dolorum proferantur: addantur etiam contumeliæ atq; ignominiæ. Nemo enim eſt tam agreſtis, quem non ſi ipſa minus honeſtas, contumelia tamen & dedecus magnopere moveat. Quare quod ad utilitatem ſpectat, ex ijs quæ dicta ſunt, reperietur. Quid autem poßit effici, nec ne poßit, in quo etiam quam facile poßit, quamq; expediat, quæri ſolet: maximè ex cauſis ijs quæ quamq; rem efficiant, eſt videndum. Cauſarum autem genera ſunt plura. Nam ſunt aliæ quæ ipſæ conficiunt, aliæ quæ vim aliquam ad conficiendum afferunt. Itaq; illæ ſuperiores, conficientes vocentur: hæ reliquæ ponantur in eo genere, ut ſine his confici non poßit. Conficiens autem cauſa, alia eſt abſoluta & perfecta per ſe: alia aliquid adiuvans, & efficiendi ſocia quædam, cuius generis vis varia eſt, & ſæpe aut maior, aut minor, ut & illa, quæ maximam vim habet, ſola ſæpe cauſa dicatur. Sunt autem aliæ cauſæ, quæ

aut

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

aut propter principium, aut propter exitum conficientes vocantur. Cum autem quæritur, quid ſit optimum factu, aut utilitas, aut ſpes efficiendi ad aſſentiendum impellit animos. Et quoniam de utilitate iam diximus, de efficiendi ratione dicamus. Quo toto genere, quibus cum, & contra quos, quo tempore, aut quo loco, aut quibus facultatibus, armorum, pecuniæ, ſociorum, earumvè rerum, quæ ad quamq; rem efficiendam pertinent, poßimus uti, requirendum eſt. Neq; ſolum ea ſunt quæ nobis ſuppetunt, ſed etiam illa quæ adverſantur, videnda. Etſi ex contentione procliviora erunt noſtra, non ſolum effici poſſe, quæ ſuademus, erit perſuadendum: ſed curandum etiam, ut illa facilia, proclivia, iucunda videantur. Diſſuadentibus autem, aut utilitas labefactanda eſt, aut efficiendi difficultates efferendæ: neq; aliis ex præceptis, ſed iiſdem ex ſuaſionis locis. Vterq; verò ad augendum habeat exemplorum aut recentium, quo notiora ſint, aut veterum, quo plus authoritatis habeant, copiam. Maximeq; ſit in hoc genere meditatus, ut poßit vel utilia ac neceſſaria ſæpè honeſtis, vel hæc illis anteferre. Ad commovendos autem

animos

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

animos maximè proficient, ſi incitandi erunt, huiuſmodi ſententiæ, quæ ad explendas cupiditates, aut ad odium ſatiandum, aut ad ulciſcendas iniurias pertinebunt. Sin autem reprimendi, de incerto ſtatu fortunæ, dubijsq; eventis rerum futurarum, & retinendis ſuis fortunis, ſi erunt ſecundæ: ſin autem adverſæ, de periculo commonendi.

Atq; hi quidem ſunt perorationis loci Principia autem in ſententijs dicendis brevia eſſe debebunt. Non enim ſupplex ut ad iudicem venit orator, ſed hortator atq; autor. Quare proponere, qua mente dicat, quid velit, quibus de rebus dicturus ſit, debet: hortariq; ad ſe breviter dicentem audiendum. Tota autem oratio ſimplex, & gravis, & ſententijs debet ornatior eſſe, quam verbis. C. F. Cognovi iam laudationis & ſuaſionis locos, nunc quæ iudicijs accommodata ſunt, expecto, idq; nobis genus reſtare unum puto. C. P. Rectè intelligis: atq; eius quidem generis finis eſt æquitas, quæ non ſimpliciter ſpectatur, ſed ex comparatione nonnunquam: ut cum de veriſſimo accuſatore diſputatur, ut cum hæreditatis ſine lege, aut ſine teſtamento petitur poſſeſſio: in quibus cauſis, quid æquius,

æquiſſi-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

æquiſſimumve ſit, quæritur: quas ad cauſas facultas petitur argumentationum ex ijs, de quibus mox dicetur, æquitatis locis. Atq; etiam ante iudicium, de conſtituendo ipſo iudicio ſolet eſſe contentio, cum aut ſit ne actio illi, qui agit, aut iam ne ſit, aut num iam eſſe deſierit, aut illane lege, his ne verbis ſit actio, quæritur: quæ etiamſi antequam res in iudicium venit, aut concertata, aut diiudicata, aut confecta non ſunt, tamen in ipſis iudicijs permagnum ſæpè habent pondus, cum ita dicitur: Plus petiſti, ſerò petiſti, non fuit tua petitio, non â me, non hac lege, non his verbis, non hoc iudicio: Quarum cauſarum genus eſt poſitum in iure civili, quod eſt in privatarum ac publicarum rerum lege aut more poſitum: cuius ſcientia neglecta ab oratoribus pleriſq;, nobis ad dicendum neceſſaria videtur. Quare de conſtituendis actionibus, accipiendis ſubeundiſq; iudicijs, de excipienda iniquitate actionis, de comparanda æquitate, quod ea ferè generis eius ſunt, ut quanquam in ipſum iudicium ſæpè dilabantur, tamen ante iudicium tractanda videantur, paululum

ea ſe-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

ea ſeparo à iudicijs, tempore magis agendi, quam diſsimilitudine generis. Nam omnia quæ de iure civili, aut de æquo & bono diſceptantur, cadunt in eam formam, in qua quale quid ſit, ambigitur: de qua dicturi ſumus, quæ in æquitate & iure maximè conſiſtit. In omnibus igitur cauſis tres ſunt gradus, ex quibus unus aliquis capiendus eſt, ſi plures non queas ad reſiſtendum. Nam aut ita conſiſtendum eſt, ut quod obijcitur, factum neges: aut illud, quod factum fateare, neges eam vim habere, atq; id eſſe, quod adverſarius criminetur. Aut ſi neq; de facto, neq; de facti appellatione ambigi poteſt: id quod arguere, neges tale eſſe, quale ille dicat: & rectum eſſe quod feceris, concedendumve defendas. Ita primus ille ſtatus, & quaſi conflictio cum adverſario, coniectura quadam: Secundus autem definitione, atq; deſcriptione, aut informatione verbi: Tertius æqui, & veri, & recti, & humani ad ignoſcendum diſputatione tractandus eſt. Et quoniam ſemper is qui defendit, non ſolum reſiſtat oportet aliquo ſtatu, aut inficiando, aut definiendo, aut æquitate opponenda, ſed etiam rationem ſubijciat recuſationis ſuæ. Primus

ille

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

ille ſtatus rationem habet iniqui criminis, ipſam negationem, inficiationemq; facti: Secundus, quod non ſit in re, quod ab adverſario ponitur in verbo: Tertius, quod id rectè factum eſſe defendet, quod ſine ulla nominis controverſia factum fatetur. Deinde unicuiq; rationi opponendum eſt ab accuſatore id, quod ſi non eſſet in accuſatione, cauſa omnino eſſe non poſſet. Itaq; ea quæ ſic referuntur, continentia cauſarum vocentur: quanquam non ea magis quæ contra rationem defenſionis afferuntur, quam ipſæ defenſionis rationes continent cauſas. Sed diſtinguendi gratia rationem appellamus eam, quæ affertur à reo ad recuſandum depellendi criminis cauſa: quæ niſi eſſet, quid defenderet non haberet. Firmamentum autem, quod contra ad labefactandam rationem refertur, ſine quo accuſatio ſtare non poteſt. Ex rationis autem & ex firmamenti conflictione, & quaſi concurſu, quæſtio exoritur quædam, quam diſceptationem voco, in qua quid deveniat in iudicium, & de quo diſceptetur, quæri ſolet. Nam prima adverſariorum contentio diffuſam habet quæſtionem, ut in coniectura, ceperitne pecunias Decius. In definitione, minueritne maieſta-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

tem Norbanus. In æquitate, iure ne occiderit Opimius Gracchum. Hæc, quæ primam contentionem habent ex arguendo & reſiſtendo, lata, ut dixi, & confuſa ſunt. Rationum & firmamentorum contentio adducit in anguſtam diſceptationem, ea in coniectura nulla eſt. Nemo enim eius quod negat factum, rationem aut poteſt, aut debet, aut ſolet reddere. Itaq; in his cauſis eadem & prima quæſtio, & diſceptatio eſt extrema. In illis autem, ubi ita dicitur: non minuit maieſtatem, quod egit de Cepione turbulentius. Populi enim Rom. dolor iuſtus vim illam excitavit, non tribuni actio. Maieſtas autem quoniam eſt magnitudo quædam Populi Rom. in eius poteſtate ac iure retinendo, aucta eſt potius quam diminuta, & ubi ita refertur: Maieſtas eſt in imperij, atq; omni populi Rom. dignitate, quam minuit is, qui per vim multitudinis rem ad ſeditionem vocavit: exiſtit illa diſceptatio, minuerit ne maieſtatem, qui voluntate populi Rom. rem gratam & æquam per vim egerit. In his autem cauſis, ubi aliquid rectè factum, aut concedendum eſſe factum, defenditur, cum eſt facta ſubiecta ratio: ſicut ab Opimio, iure feci ſalutis omnium

um,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

um, & conſervandæ Reip. cauſa: relatumq́; eſt ab Decio: ne ſceleratiſsimum quidem civem ſine iudicio iure ullo necare potuiſti: oritur illa diſceptatio, potueritne recte ſalutis Reip. cauſa, civem everſorem civitatis indemnatum necare. In diſceptationes eæ, quæ in his controverſijs oriuntur, quæ ſunt certis perſonis & temporibus notatæ, fiunt rurſus infinitæ; detractisq́; temporibus & perſonis, rurſum ad conſulationis formam rationemq́; revocantur. Sed in graviſsimis firmamentis & illa ponenda ſunt, ſi qua ex ſcripto legis, aut teſtamenti, aut verborum ipſius iudicij, aut alicuius ſtipulationis, aut cautionis opponuntur defenſione contraria. Ac ne hoc quidem genus in eas cauſas incurrit, quæ coniectura continentur. Quod enim factum negatur, id argui non poteſt ſcripto: ne in definitionem quidem venit genere ſcripti ipſius. Nam etiamſi verbum aliquod de ſcripto definiendum eſt, quam vim habeat, ut cum ex teſtamentis quid ſit penus, aut cum ex lege prædij quæritur, quæ ſunt ruta caſa; non ſcripti genus, ſed verbi interpretatio controverſiam parit. Cum autem plura ſignificantur ſcripto propter verbi aut verborum ambiguitatem, ut liceat ei qui contra dicat eò trahere

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

ſignificationem ſcripti, quo expediat aut velit: aut etiamſi ambiguè ſcriptum non ſit, vel à verbis voluntatem & ſententiam ſcriptoris abducere, vel alio ſe eadem de re contrariè ſcripto defendere, tum diſceptatio ex ſcripti contentione exiſtit: ut in ambiguis diſceptetur, quid maximè ſignificetur: in ſcripti ſententiæq; contentione, utrum potius ſequatur iudex: in contrariis ſcriptis, utrum magis ſit comprobandum. Diſceptatio autem, cum eſt conſtituta, propoſita eſſe debet oratori, quo omnes argumentationes repetitæ ex inveniendi locis coniiciantur. Quod quanquam ſatis eſt ei, qui videt quid in quoq; loco lateat, quiq; illos locos tanquam theſauros aliquos argumentorum notatos habet: tamen ea quæ ſunt certarum cauſarum propria, tangemus. In conjectura igitur, cum eſt in inficiando reus, accuſatori hæc duo prima ſunt (ſed accuſatorem pro omni actore & petitore appello. Poſſunt enim etiam ſine accuſatore in cauſis hæc eadem controverſiarum genera verſari) ſed hæc duo ſunt ei prima, cauſa & eventus. Cauſam appello rationem efficiendi: eventum id, quod eſt effectum. Atq; ipſa quidem partitio cauſarum paulo ante in ſuaſionis locis diſtri-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

diſtributa eſt. *Quæ enim in conſilio capiendo futuri temporis præcipiebantur, quamobrem aut utilitatem viderentur habitura, aut efficiendi facultatem, eadem qui de facto argumentabitur, colligere debebit. Quamobrem & utilia illi quem arguet, fuiſſe, & ab eo effici potuiſſe demonſtret. Vtilitatis coniectura movetur, ſi illud quod arguitur, aut ſpe bonorum, aut malorum metu feciſſe dicitur: quod fit acrius, quo illa in utroq; genere maiora ponuntur. Spectantur etiam ad cauſam facti motus animorum, ſi ira recens, ſi odium vetus, ſi ulciſcendi ſtudium, ſi iniuriæ dolor: ſi honoris, ſi gloriæ, ſi imperij, ſi pecuniæ cupiditas: ſi periculi timor, ſi æs alienum, ſi anguſtiæ rei familiaris, ſi audax, ſi levis, ſi crudelis, ſi impotens, ſi incautus, ſi inſipiens, ſi amans, ſi commota mente, ſi vinolentus, ſi cum ſpe efficiendi, ſi cum opinione celandi, aut ſi patefactum eſſet, depellendi criminis, vel perrumpendi periculi, vel in longinquum tempus differendi: aut ſi iudicij pœna levior, quam facti præmium: aut ſi facinoris voluptas maior, quam damnationis dolor. His ferè rebus facti ſuſpicio confirmatur, cum & voluntatis in reo cauſæ reperiuntur, & facultas. In vo-*

luntate autem utilitas ex adeptione alicuius commodi, vitationeq; alicuius incommodi quæritur, ut aut ſpes, aut metus impuliſſe videatur, aut alius repentinus animi motus, qui etiam citius in fraudem, quam ratio utilitatis impellit. Quamobrem ſint hæc dicta de cauſis. C. F. Teneo, & quæro qui ſint illi eventus, quos ex cauſis effici dixiſti. C. P. Conſequentia quædam ſigna præteriti, & quaſi impreſſa facti veſtigia, quæ quidem vel maximè ſuſpicionem movent, & quaſi tacita ſunt criminum teſtimonia. Atq; hæc quidem graviora, quod cauſæ communiter videntur inſimulare, & arguere omnes poſſe, quorum non interfuerit aliquid. Hæc propriè attingunt eos ipſos, qui arguuntur: ut telum, ut veſtigium, ut cruor, ut deprehenſum aliquid quod ablatum ereptumve videatur, ut reſponſum inconſtanter, ut hæſitatum, ut titubatum, ut cum aliquo viſus ex quo ſuſpicio oriatur, ut eo ipſo in loco viſus, in quo facinus, aut pallor, aut tremor, ut ſcriptum, aut obſignatum, aut depoſitum quippiam. Hæc enim et talia ſunt quæ aut in re ipſa, aut etiam ante quàm factum eſt, aut poſtea, ſuſpicioſum crimen efficiant. Quæ ſi non erunt, tamen cauſis ipſis, & efficiendi facultatibus niti oportebit, adiun-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

cta illa diſputatione communi, non fuiſſe illum tam amentem, ut indicia facti aut effugere, aut occultare non poſſet: ut ita apertus eſſet, ut locum crimini relinqueret. Communis ille contra locus audaciam temeritati, non prudentiæ eſſe coniunctam. Sequitur autem ille locus ad augendum, non eſſe expectandum, dum fateatur, argumentis peccata convinci, & hic etiam exempla ponentur. Atq; hæc quidem de argumentis. Sin autem erit etiam teſtium facultas, primum genus erit ipſum laudandum, dicendumq; ne argumentis teneretur reus, ipſum ſua cautione feciſſe: teſtes effugere non potuiſſe. Deinde ſinguli laudentur. Quæ autem eſſent laudabilia, dictum eſt. Deinde etiam argumento firmo, quia tamen ſæpè falſum eſt, poſſe rectè non credi: viro bono & firmo, ſine vitio indicis non poſſe non credi. Atq; etiam ſi obſcuri teſtes erunt, aut tenues, dicendum erit, non eſſe ex fortuna fidem ponderandam, aut eos eſſe cuiusq; locupletiſſimos teſtes, qui id de quo agatur, facillimè ſcire poſſint. Sin quæſtiones habitæ, aut poſtulatio, ut habeantur, cauſam adiuvabunt, confirmandum genus primum quæſtionum erit: dicendum de vi doloris, de opinione maiorum, qui eam

rem totam niſi probaſſent, certè repudiaſſent:
De inſtitutis Athenienſium, Rhodiorumq́ do-
ctiſsimorum hominum, apud quos etiam (id
quod acerbiſsimum eſt) liberi civesq́ torquen-
tur. De noſtrorum etiam prudentiſsimorum
hominum inſtitutis, qui cum de ſervis in do-
minos quæri noluiſſent, de inceſtu tamen,
& coniuratione, quæ facta me conſule eſt,
quærendum putaverunt. Irridenda etiam di-
ſputatio eſt, qua ſolent uti ad infirmandas
quæſtiones, & meditata puerilisq́ dicenda: tum
facienda fides, diligenter eſſe & ſine cupidita-
te quæſitum, dictaq́ quæſtionis argumentis &
coniectura ponderanda. Atq́ hæc accuſationis
ferè membra ſunt. Defenſionis autem, pri-
mum infirmatio cauſarum, aut non fuiſſe,
aut non tantas, aut non ſibi ſoli, aut commo-
dius potuiſſe idem conſequi, aut non his eſſe
moribus, non ea vita, aut nullos animi mo-
tus, aut non tam impotentes fuiſſe. Facultatum
autem infirmatione utetur, ſi aut vires, aut
animum, aut copias, aut opes abfuiſſe demon-
ſtrabit, aut alienum tempus aut locum non
idoneum, aut multos arbitros, quorum crede-
ret nemini, aut non ſe tam ineptum, ut id
ſuſciperet, quod occultare non poſſet: neq́ tam
amen-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

amentem, ut pœnas ac iudicia comteneret. Conſequentia autem diluet, exponendo non eſſe illa certa indicia facti, quæ etiam nullo admiſſo conſequi poſſent: conſiſtetq; in ſingulis: & ea, aut eorum quæ ipſe facta eſſe dicet, propria eſſe defendet potius quam criminis: aut ſi ſibi cum accuſatore communia eſſent, pro periculo potius, quam contra ſalutem valere debere. Teſtiumq; & quæſtionum genus univerſum, & quod poterit in ſingulis, ex reprehenſionis locis, de quibus ante dictum eſt, refellet. Harum cauſarum principia ſuſpicioſa ad acerbitatem ab accuſatore ponentur: Denunciabiturq; inſidiarum commune periculum, excitabunturq; animi ut attendant. A reo autem querela conflati criminis, collectarumq; ſuſpicionum & accuſatoris inſidiæ, & item commune periculum proferetur: animiq; ad miſericordiam allicientur, & modicè benevolentia iudicum colligetur. Narratio autem accuſatoris erit quaſi membratim geſti negotij ſuſpicioſa explicatio, ſparſis omnibus argumentis, obſcuratis defenſionibus. Defenſoris, aut præteritis aut obſcuratis ſuſpicionum argumentis, rerum ipſarum eventus erunt, caſusq; narrandi. In confirmandis autem noſtris ar-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

gumentationibus, infirmandisq́ contrarijs, ſæpe erunt accuſatori motus animorum incitandi, reo mitigandi. Atq́ hæc quidem utriq́ maximè in peroratione facienda: alteri, frequentatione argumentorum, & coacervatione univerſa: alteri, ſi planè cauſam redarguendo explicarit, enumeratione, ut quicq́ diluerit, & miſeratione ad extremum. C. F. Scire mihi iam videor, quemadmodum coniectura tractanda ſit, nunc de definitione audiamus. C. P. Communia dantur in iſto genere accuſatori defenſoriq́ præcepta. Vt enim definiendo deſcribendoq́ verbo magis ad ſenſum iudicis opinionemq́ penetrarit, & uter ad communem verbi vim, & ad eam præceptionem, quam incoatam habebunt in animis ij, qui audient, magis & propius acceſſerit, is vnicat neceſſe eſt. Non enim argumentando hoc genus tractatur, ſed tanquam explicando excutiendoq́ verbo, ut ſi in reo pecunia abſoluto, rurſusq́ revocato, prævaricationem accuſator eſſe definiat omnem iudicij corruptelam ab reo: defenſor autem non omnem, ſed tantummodo accuſatoris corruptelam ab reo. Sit ergo hæc contentio prima verborum, in qua etiamſi propius accedat ad conſuetudinem,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

nem, mentemq́ ſermonis defenſoris definitio, tamen accuſator ſententia legis nititur. Negat enim probari oportere, eos qui leges ſcripſerunt, ratum habere iudicium, ſi totum corruptum ſit, ſi unus accuſator corruptus ſit, reſcindere nititur æquitate, ut illa quaſi ſcribenda lex ſic eſſet: quæq́ tamen complecteretur in iudicijs corruptis, ea verbo uno prævaricationis comprehendiſſe dicitur. Defenſor autem teſtatur conſuetudine ſermonis, verbiq́ vim ex contrario reperiet, quaſi ex vero accuſatore, cui contrarinm eſt nomen prævaricationis: ex conſequentibus, quod ea litera de accuſatore ſoleat dari iudici: ex nomine ipſo, quod ſignificat eum qui in contrarijs cauſis quaſi variè eſſe poſitus videatur. Sed huic tamen ipſi confugiendum eſt ad æquitatis locos, ad rerum iudicatarum autoritatem, ad finem aliquem periculi: communeq́ ſit hoc præceptum, ut cum uterq́ definierit, quam maximè potuerit ad communem ſenſum, vimq́ verbi: tum ſimilibus, exemplisq́ eorum, qui ita locuti ſunt, ſuam definitionem ſententiamq́ confirmet. Atq́ accuſatori in hoc genere cauſarum locus ille communis, minimè eſſe concedendum, ut is qui de re confiteatur, verbi ſe interpretatione defendat. Defenſor

autem

autem ea, quam propoſui, æquitate nitatur: & ea cum ſecum faciat, non re, ſed depravatione verbi ſe vrgeri queratur. Quo in genere percenſere poterit plerosq; inveniendi locos. Nam & ſimilibus & contrarijs utitur, & contrarijs, & conſequentibus, quanquam uterq;, tamen reus, niſi planè erit abſurda cauſa, frequentius. Amplificandi autem cauſa, quæ aut cum digredientur à cauſa, dici ſolent, aut cum perorabunt, hæc vel ad odium, vel ad miſericordiam, vel ad omnino animos iudicum movendos, ex ijs quæ ſunt antepoſita, ſumentur, ſi modo rerum magnitudo hominumve aut invidia, aut dignitas poſtulabit. C. F. Habeo iſta nunc ea, quæ cum quale ſit quippiam diſceptatur, quæri ex utraq; parte deceat, velim audire. C. P. Confiteamur in iſto genere qui arguuntur, ſe id feciſſe ipſum, in quo reprehenduntur. Sed quoniam iure ſe feciſſe dicunt, iuris eſt omnis ratio nobis explicanda, quod dividitur in duas partes primas, naturam atq; legem: & utriusq; generis vis in divinum & humanum ius eſt diſtributa: Quorum æquitatis eſt unum, alterum religionis. AEquitatis autem vis eſt duplex: cuius altera directi, & veri, & iuſtis

&

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

& ut dicitur, æqui & boni ratione defenditur: Altera ad viciſsitudinem referendæ gratiæ pertinet: quod in beneficio gratia, in iniuria ultio nominatur. Atq; hæc communia ſunt naturæ atq; legis: ſed propria legis & ea, quæ ſcripta ſunt, & ea quæ ſine literis, aut gentium iure, aut maiorum more retinentur. Scriptorum autem privatum aliud eſt, publicum aliud. Publicum, lex, ſenatus con. fœdus. Privatum, tabulæ, pactum, conventum, ſtipulatio. Quæ autem ſcripta non ſunt, ea aut conſuetudine, aut conventis hominum, & quaſi conſenſu obtinentur. Atq; etiam hoc in primis, ut noſtros mores legesq; tueamur, quodammodo naturali iure præſcriptum eſt. Et quoniam breviter aperti fontes ſunt quaſi quidam æquitatis, meditata nobis ad hoc cauſarum genus eſſe debebunt ea, quæ dicenda erunt in orationibus, de natura, de legibus, de more maiorum, de propulſanda iniuria, de ulciſcenda, de omni parte iuris. Si imprudenter, aut neceſsitate, aut caſu quippiam fecerit, quod non concederetur ijs, qui ſua ſponte & voluntate feciſſent: ad eius facti deprecationem, ignoſcendi petenda venia eſt, quæ ſumetur ex pleriſq; locis æquitatis. Expoſitum eſt, ut po-

tui

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

tui breviſſimè, de omni contrverſiarum gene-
re, niſi præterea tu quid requiris. C. F. Illud
equidem, quod iam unum reſtare video, quale
ſit, cum diſceptatio verſatur in ſcriptis. C. P.
Rectè intelligis: eo enim expoſito, munus pro-
miſſi omne confecero. Sunt igitur ambigui duo-
bus adverſarijs præcepta communia. Vterq;
enim hanc ſignificationem, qua utetur ipſe, di-
gnam ſcriptoris prudentia eſſe defendet. Vterq;
id quod adverſarius ex ambiguè ſcripto intel-
ligendum eſſe dicet, aut abſurdum, aut inuti-
le, aut iniquum, aut turpe eſſe defendet, aut
etiam diſcrepare cum cæteris ſcriptis, vel alio-
rum, vel maximè, ſi poterit, eiuſdem: quamq;
defendet ipſe, eam rem & ſententiam quam-
vis prudentem & iuſtum hominem, ſi inte-
grum daretur, ſcriptum fuiſſe, ſed planius:
eamq; ſententiam, quam ſignificari poſſe dicet,
nihil habere aut captionis, aut vitij: Contra-
rium autem ſi probarit, fore ut multa vitioſa,
ſtulta, iniqua, contraria conſequantur. Cum
autem aliud ſcriptor ſenſiſſe videtur, & aliud
ſcripſiſſe: qui ſcripto nitetur, cum re expoſita
recitatione uti oportebit: deinde inſtare adver-
ſario, iterare, renovare, interrogare, num
aut

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

aut ſcriptum neget, aut contrâ factum inficietur. Poſt iudicem ad vim ſcripti vocet. Hac confirmatione uſus, amplificet rem, legem laudanda: audaciamq́ confutet eius qui cum palam contrà fecerit, idq́ fateatur, adſit tamen factumq́ defendat. Deinde infirmet defenſionem, cum adverſarius aliud voluiſſe, aliud ſenſiſſe ſcriptorem, aliud ſcripſiſſe dicat: non eſſe ferendum, à quoquam potius latoris ſenſum, quam à lege explicari. Cur ita ſcripſerit, ſi ita non ſenſerit? Cur, cum ea quæ plane ſcripta ſint neglexerit: quæ nunquam ſcripta ſint, proferat? Cur prudentiſſimos in ſcribendo viros, ſummæ ſtultitiæ putet eſſe damnandos? Quid impedierit ſcriptorem, quo minus exciperet illud, quod adverſarius, tanquam ſi exceptum eſſet, ita dicit ſe ſecutum? Vtetur exemplis ijs quibus idem ſcriptor: aut ſi id non poterit, quibus alij, quod excipiendum putarint exceperint. Quærenda etiam ratio eſt, ſi qua poterit inveniri, quare non ſit exceptum: aut iniqua lex, aut inutilis futura dicetur, aut alia cauſa obtemperandi, alia abrogandi, diſſentire adverſarij vocem, atq́ legis. Deinde amplificandi cauſa, de conſervandis legibus, de periculo

rerum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

rerum publicarum atq; privatarum, cum alijs locis, tum in perorando maximè, graviter erit vehementerq; dicendum. Ille autem qui ſe ſententia legis voluntateq; defendet, in conſilio atq; in mente ſcriptoris, non in verbis ac literis vim legis poſitam eſſe defendet: quodq; nihil exceperit in lege, laudabit, ne diverticula peccatis darentur, atq; ut ex facto cuiusq; iudex legis mentem interpretaretur. Deinde erit utendum exemplis, in quibus omnis æquitas perturbetur, ſi verbis legum, ac non ſententijs pareatur. Deinde genus eiusmodi calliditatis & calumniæ retrahatur in odium iudicis, cum quadam invidioſa querela. Et ſi incidet imprudentiæ cauſa, quæ non ad delictum, ſed ad caſum neceſſitatemve pertineat, quod genus paulò antè attigimus: erit ijſdem æquitatis ſententijs contra acerbitatem verborum deprecandum. Sin ſcripta inter ſe diſſentient, tanta ſeries artis eſt, & ſic inter ſe ſunt pleraq; connexa & apta, ut quæ paulò antè præcepta dedimus ambigui, quæq; proximè ſententiæ & ſcripti, eadem ad hoc genus cauſæ tertium transferantur. Nam quibus locis in ambiguo defendimus eam ſignificationem quæ nos adiuuat, eiſdem in contrarijs legibus

noſtra

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

noſtra lex defendenda eſt. Deinde eſt efficiendum, ut alterius ſcripti ſententiam, alterius verba defendamus. Ita quæ modo deſcripto ſententiaq; præcepta ſunt, eadem huc omnia transferamus. Expoſitæ ſunt tibi omnes oratoriæ partitiones, quæ quidem è media illa noſtra Academia floruerunt: neq; ſine ea aut inveniri, aut intelligi, aut tractari poſſunt. Nam & partiri ipſum, & definire, & ambigui partitiones dividere, & argumentorum locos noſſe, & argumentationem ipſam concludere, & videre quæ ſumenda in argumentando ſint, quidq; ex ijs quæ ſumpta ſunt, efficiatur, & vera à falſis, veriſimilia ab incredibilibus dijudicare & diſtinguere, & aut malè ſumpta aut malè concluſa reprehendere, & eadem vel anguſtè diſſerere, ut dialectici qui appellantur, vel, ut oratorem decet, latè exprimere: illius exercitationis, & ſubtiliter diſputandi, & copioſe dicendi artis eſt. De bonis verò rebus & malis, æquis iniquis, utilibus inutilibus, honeſtis turpibus, quam poteſt habere orator ſine illis maximarum rerum artibus facultatem aut copiam? Quare hæc tibi ſint mi Cicero, quæ expoſui, quaſi indicia fontium illorum: ad quos ſi nobis iisdem du-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

cibus, aliusve perveneris, tum & hæc ipſa melius, & multa maiora alia cognoſces. C. F. Ego verò, ac magno quidem ſtudio, mi pater, multisq; ex tuis præclariſſimis muneribus nullum magis expecto.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

CICERONIANARVM ORATIONVM STATVS & horum ad res civiles accommodatio.

Autore.

M. HARTVICO SMIDESTEDT.

ORATIONES ANTE GEſtum Magiſtratum dictæ, anno ætatis Ciceronis 26. & 27.

PRo P. Quintio, cuius ſtatus iuridicialis, Num poſſederit bona P. Quintij Neuius, ex prætoris edicto. Itaq; propoſitio, de qua orationem elaborat Cicero, nuda & brevis iſta eſt: Non poſſedit bona P. Quintij Neuius ex prætoris edicto. *Habet locum illuſtrem oratio, in defenſionibus contra vim illatam privatam ſeu publicam.*

Pro Sexto Roſcio Amerino, cuius ſtatus coniecturalis, Num Sextus Roſcius patrem interfecerit. Itaq; propoſitio, de qua orationem elaborat Cicero, ſimplex & brevis iſta eſt: Sextus Roſcius non eſt parricida. *Habet locum illuſtrem oratio, in defenſionibus, in quibus factum enorme & atrox quodlibet, maximè verò homicidium negari ſolet.*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

ORATIONES DICTAE QVAESTVRAE ET AEDILITATIS tempore, ab anno ætatis Ciceronis 31. ad annum ætatis eius, 38.

Pro Quinto Roſcio Comœdo, cuius ſtatus, Num debeat Roſcius pecuniam Fannio ex ſocietate. Itaq; propoſitio, de qua orationem elaborat Cicero, nuda & brevis iſta eſt: Roſcius non eſt parricida. *Habet locum oratio in defenſionibus, in quibus factum, maximè furtum & ſpolium, debitum & mutuum ſolet negari.*

In Verrem orationes ſeptem, quarum Prima, Divinatio dicta, ſtatum continet, Vtrum Verrem Cicero, num vero Cæcilius debeat accuſare. Itaq; propoſitio, de qua orationem elaborat Cicero, nuda & brevis iſta eſt: Cicero cauſæ actor eligendus, Cæcilius verò reijciendus. *Habet locum illuſtrem oratio, in dubia conſultatione, quæ tota conſtat perſonarum & rerum comparatione, maximè verò in regum, principum, imperatorum, Epiſcoporum, & regni procerum ſedata ac gravi electione.*

Secun-

Secunda, Poſtulatio dicta, de nouo genere agendi, ſtatum continet: Num perpetua oratione utendum, an verò intercisa, ad brevem criminum in Verris accuſatione commemorationem, & teſtium ipſorum productionem.

Tertia, in qua ſummas artis & accuſationis vires oſtentavit Cicero, ſtatum vel propoſitionem continet: Verres in quæſtura, in legatione, in prætura urbana ſibi commiſſa, omnia auarè & perfidè, imprudenter ac doloſè, iniuſtè & ſcelerate egit. *Habet locum illuſtrem oratio, in acerbiſſimis invectivis, criminationibus, inſectationibus, vituperationibus, & vehementiſſimis accuſationibus, maximè verò contra perſonas publicas, avarè munera publica in vita gerentes.*

Quarta, propoſitionem continet: Idem Verres, ſub prætura Siculienſi, crimina turpiſſima in dicendo iure commiſit, iudicia ob pecuniam dedit, iuriſdictionem & honores vendidit, ſtatutorum nomine pecuniam expreſſit, cumq; publicanis in furtis colluſit. *Habet locúm oratio in vehementiſſimis criminationibus, & acerbiſſimis accuſationibus, maximè verò contra iudiciorum corruptores, legum perverſores, avaros & fraudulentos magiſtratus ac iudices.*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

Quinta, Frumentaria dicta, propoſitionem continet: Verres in frumento decumano, frumento empto, & frumento æſtimato, Vendendo & auferendo, Siciliam totam, & populum Rom. fraudavit. *Habet locum oratio, in ijſdem ſimilis argumenti graviſſimis accuſationibus, maximè verò contra raptores, fures, fraudulentos, avaros, illiberales & omnes reliquos, ſi qui contra leges & conſuetudines, iudicata & pacta delinquunt.*

Sexta, de ſignis dicta, propoſitionem continet: Verres ſigna omnia, monumenta, tabulas, picturas, & res cuiuscunq; generis precioſas quæſivit inſpexit, & tandem ex ſacris prophaniſq; locis abſtulit. *Habet locum oratio in ijsdem ſimilis argumenti acerbiſſimis accuſationibus.*

Septima, De ſupplicijs dicta, propoſitionem continet: Verres rem bellicam luxurioſè, avarè & flagitioſè adminiſtravit, tum verò Romanos cives, omni ſuppliciorum genere affecit. *Habet locum oratio, in acerbiſſimis inſectationibus, maximè verò contra magiſtratus & viros principes, avarè ac libidinoſè rem adminiſtrantes, tum verò crudeliter in cuiusq; generis homines ſævientes.*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

Pro M. Fonteio , cuius propoſitio : Gallorum querelis non eſt credendum , quod ſub Fontei prætura , ære alieno ſit oppreſſa Gallia. *Habet locum oratio in defenſionibus , in quibus negari factum ſolet. Inprimis verò locum habet illuſtrem hæc oratio , in teſtibus productis aut citatis , modo copioſo & oratorio elevandis.*

Pro A. Cecinna , cuius ſtatus legalis , ſcripti videlicet & ſententiæ , Vtrum Ebutius Cecinnam de prædio deiecerit , cum ne quidem Cecinnam tetigerit , ſed accedentem eum per homines armatos prohibuerit , Atq; utrum ideo Ebutius ex verbis interdicti unde vi , ad Cecinnæ reſtitutionem teneatur. Itaq; propoſitio , de qua orationem elaborat Cicero , nuda & brevis iſta erit : Ebutius Cecinnam accedentem per homines armatos prohibens , de prædio deiecit , & ex interdicto vnde vi , ad Cecinnæ reſtitutionem tenetur. *Habet locum illuſtem oratio, in gravibus actionum controverſijs , & iuris plerisq; materijs , ratione ornata & copioſa explicandis , maximè verò in proceſſu ordinario ipſo , & iuris defenſionibus , in quibus legis , teſtamenti , cautionis , ſtipulationis , vel ſcripti cuiusq; ſententiam & voluntatem contra verba tuemur.*

ORATIONIS PRAETORIAE, PRAETVRAE TEMPORE dictæ, ab anno ætatis Ciceronis 40. ad annum ætatis eius, 44.

Pro lege Manilia, cuius duplex ſtatus ſeu propoſitio: Enitendum viri Romani vobis in bellum contra Mitridatem, potentiſſimum regem & hoſtem: Deinde verò ad hoc idem bellum Imperator deligendus inter omnes Pompeius. *Habet locum pars orationis prima, in cohortationibus acribus & vehementibus, quibus ad bella gerenda vel ſedanda, ad pacem firmandam, ad tributa pendenda, ad ſtudia capeſcenda, ad virtutem colendam, & res cuiuscunq; generis alias agendas & ſuſcipiendas auditorum animi extimulabuntur. Pars verò poſterior orationis, locum obtinebit veriorem, in dubia conſultatione, quæ vel circa regum, principum, imperatorum, vel perſonarum quarumcunq; publicarum obtingere poteſt electionem.*

Pro A. Cluentio, quæ etſi ſtatum principalem habeat, Num vitricum ſuum Oppianicum, Cluentius veneno ſuſtulerit, iudicio tamen Ciceronis, cauſam ipſam conſtituentis, continet diſertè tres propoſitiones oratio: Prima:

Prima: Oppianicus iuſte ex factis & præiudicijs condemnatus fuit. *Secunda*: Oppianicus quantumvis condemnatus, iudicium pecunia corrupit. *Tertia*: Oppianicum Cluentius veneno non ſuſtulit. *Habet locum oratio in criminationibus, in defenſionibus ſupplicij iuſtè ſumpti, & ſententiæ iuſtæ irrogatæ, in accuſationibus iudicij pecunia corrupti, in defenſionibus facti & maximè veneficij non commiſſi.*

ORATIONES CONSVLARES CONSVLATVS TEMPORE *dictæ, anno ætatis Ciceronis 44.*

De lege Agraria contra Servilium Rullum, tribunum plebis in ſenatu, cuius propoſitio: Lex Agraria de vectigalibus vendendis, agris emendis, & in populum diſtribuendis, Colonijsq; deducendis, haud quaquam debet habere locum in Romano populo. *Habet locum illuſtrem oratio, in diſſuaſionibus factorum & conſiliorum, ut fœdorum; bellorum, coniugiorum, & conatuum maximè illorum, qui vel quoq; modo gubernationi. & gubernationum formis pernicioſi, & intolerabiles videntur.*

De lege Agraria contra Servilium Rullum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

lum ad populum, cuius propoſitio: Lex Agraria de bonis vendendis, agris emendis, & Colonijs deducendis, acceptanda non eſt. *Habet locum illuſtrem oratio, in maximarum rerum diſſuaſionibus, quæ libertatis imminutionem, dominantium intolerabilem quæſtum & poteſtatem, urbium ac Rerumpub. cladem ac internecionem minitantur.*

De lege Agraria contra Servilium Rullum ad populum oratio ſecunda, cuius propoſitio: Ego Cicero non ſum (ut falſò aſſerunt Agrarij) Tyrannidis Syllanæ defenſor & *fautor. Habet locum illuſtrem oratio, in quavis brevi defenſione, ſuis ordinatis & debitis orationis partibus conſtante, tum verô crimen ipſum in adverſarium retorquente.*

Pro C. Rabirio perduellionis reo, cuius ſtatus & propoſitio: C. Rabirius perduellionis, in eo, quod Saturninum tribunum plebis occidiſſe accuſatur, non eſt reus. *Habet locum illuſtrem oratio, in defenſione non facti & iure facti, maximè verô in defenſione, ſeſe exemplo aliorum idem facientium tuente.*

In Catilinam prima, cuius ſtatus & propoſitio: Ego te Catilinam adhortor &

moneo,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

moneo, ut quam primum urbe exeas, & vel in exilium, vel ad caſtra Maniliana diſcedas. *Habet locum illuſtrem oratio in exhortatione acri & inflammata, maximè illa, quæ adiunctam habet animi iuſtam commotionem & indignationem.*

In Catilinam ſecunda, cuius ſtatus & propoſitio: Tandem Catilinam nefaria patriæ molientem urbe eieci, & profligavi. *Habet locum illuſtrem oratio, in acclamationibus & gratulationibus, poſt res quasq; benè, proſperè, & utiliter geſtas, proviſas, meditatas, tum vero in omnibus ijs, quæ vel læta ac proſpera obtigerunt, vel in præſentia etiam obtingunt & accidunt.*

In Catilinam tertia, cuius ſtatus & propoſitio: Factum illuſtre & præclarum, Deorum immortalium beneficio præſtitimus, Rempub. conſervavimus, & periculo omni noſtris conſilijs ac laboribus liberavimus. *Habet locum illuſtrem oratio, in facti cuiuſq; magnifica & penè exultante commendatione, præſtiti in Eccleſiarum conſervatione, ſcholarum erectione, artium promotione, Rerumpub. defenſione, bellorum & rerum quarumcunq; civilium feliciſsima geſtione.*

In

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

In Catilinam Quarta, cuius propoſitio: Syllani potius ſententiam de coniuratis interficiendis, quam Cæſaris, de coniuratis in vinculis per municipia habendis, ſequendam & amplectendam eſſe cenſeo. *Habet locum oratio in ſuaſionibus maximè illis, quæ duabus propoſitis partium ſententijs, ad harum alteram prudenter & moderatè, ſine partis adverſariæ offenſione deflectit. Habet & locum oratio in ferendis moderatè ſententijs, ſub publicis conſultationibus.*

Pro Murena, cuius triplex ſtatus ſeu propoſitio: Prima eſt: Murenæ vita, nulla parte reprehendi poteſt. Secunda: Par etiam eſt Sulpitio Murena contentione multarum dignitatum, in pleriſq; etiam ſuperior. Tertia: Neq; etiam ambitus crimine (id quod opponit Sulpitius) Murena tenetur. *Pars orationis prima locum habet in defenſionibus maximè illis, quæ contra obiectam alicuius vitam inſtituuntur. Pars ſecunda habet locum in perſonarum, tum verò numerum, officiorum, artium & facultatum collatione, quæ dignitate pares aut impares, inferiores aut ſuperiores controvertuntur. Tertia locum habet in non facti defenſione, maximè ambitus, ſuperbiæ, vel arrogantiæ amolitione,*

ORA-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

ORATIONES POST CONSVLATVM GESTVM DIctæ ante exilium, ab anno ætatis Ciceronis 45 ad annum ætatis eius 49.

Pro L. Sylla, cuius ſtatus & propoſitio. Sylla Catilinæ coniuratus non fuit. *Habet locum oratio in Non facti, maximè ſodalitij pravi defenſione illa, quæ quem ex vita, & moribus antè actis tuetur.*

Pro Archia, cuius ſtatus & propoſitio: Iure Archias, Romanus civis habetur. *Habet locum oratio in iuris defenſionibus maximè illis, quæ quem præter legem, ob doctrinam illuſtrem, & facta præclarè geſta tuetur.*

Pro L. Flacco, cuius ſtatus & propoſitio: Lucius Flaccus repetundarum non eſt reus. *Habet locum oratio in Non facti defenſione, maximè illa, quæ quem contra teſtes citatos, & ſparſum communem multitudinis rumorem ab obiecto ſcelere vindicat.*

ORATIONES POST REDITVM AB EXILIO, AB ANNO ætatis Ciceronis 50 ad annum ætatis eius 64.

Poſt

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

Poſt reditum in ſenatu, cuius propoſitio: Gratias vobis patres conſcripti ago, quod veſtro beneficio reſtitutus ſum. *Habet locum illuſtrem oratio in ſplendidiſſimis beneficiorum laudationibus, & ampliſſimis gratiarum actionibus, in quibus non tam uni quam pluribus ſingillatim, pro quovis exhibito officio & beneficio gratiæ agi poſſunt.*

Poſt reditum ad Quirites, cuius propoſitio: Nemo unquam tanta eloquentia fuit, qui magnitudinem beneficiorum, quæ in me & liberos meos, ipſa mei reſtitutione contuliſtis, oratione ornare aut conſequi poſſit. *Habet locum illuſtrem oratio, in factorum & beneficiorum magnificentiſſimis commendationibus.*

Pro domo ſua ad Pontifices, cuius propoſitio: Domus mea à Clodio everſa, & Deæ Libertati conſecrata, mihi iure reſtituenda eſt. *Habet locum illuſtrem oratio, in gravi & acri admodum iuris defenſione, accuſationi coniuncta, in qua unicuiq́, quod ſuum fuit, & quod ſuum eſt, iure reddendum vel tribuendum oſtendimus.*

De Aruſpicum reſponſis, cuius propoſitio: Domus mea Aruſpicum reſponſis (ut falſò aſſerit Clodius) non eſt ſignificata vel intellecta, quaſi propter eam Dij fuerint Reip.

irati,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

ſtati, ſed fuit Clodius, ipſe indubitatò reſponſis Aruſpicum illis petitus. *Habet locum oratio in defenſionibus ex ſcripto, & interpretationibus legum, dictorum & ſententiarum, quas pro nobis maximè contra alios facere oſtendimus. Itaq; exemplum eſt oratio de Aruſpicum reſponſis perfectiſſimum defenſionis ex ſcripto & ſententia, ſub ſtatu legali generis iudicialis.*

Pro P. Sextio, cuius ſtatus & propoſitio: P. Sextius in tribunatu per vim nihil commiſit, ſed cum maxima laude in eo verſatus eſt. *Habet locum illuſtrem oratio, in Non facti defenſione, maximè illa, cuius argumenta ex locis perſonarum demonſtrativi generis, ut parentibus, vita, moribus, geſtis rebus, & alijs pleriſq; ducuntur. Poterit etiam orationis huius locus eſſe, in perſonarum commendatione, iuxta vulgatos demonſtrativi generis in perſonarum commendatione locos.*

In Vatinium teſtem, cuius ſtatus & propoſitio: Vatinius teſtis eſt Vanus, & homo ex fraude & improbitate compoſitus. *Habet locum oratio in defenſionibus contra teſtes, & in perſonarum vituperationibus, quæ à factis maximè perſonarum ſceleratè commiſſis ducuntur.*

Pro

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

Pro M. Cælio, cuius propoſitio : M. Cælius neq; aurum à Clodio ſumpſit, neq; venenum eidem paravit. *Habet locum oratio in defenſionibus, in quibus factum, maximè adulterium, mutuum, veneficium & ſi quod hiſce eſt finitimum, negari ſolet.*

Pro L. Cornelio Balbo, cuius propoſitio: Balbus iure donatus eſt civitate à Pompeio. *Habet locum oratio in iure facti defenſionibus.*

De provincijs conſularibus, cuius propoſitio: Piſoni & Gabinio, Syriam & Macedoniam provincias eripiendas eſſe cenſeo, Cæſari vero Galliam provinciam prorogandam. *Habet locum illuſtrem oratio in ſuaſione & diſſuaſione, maxime in hoc vel illo rege vel principe eligendo aut retinendo, altero verò abigendo, urgendo, expellendo, nec acceptando: Quales nunc paßim elaboratæ quorundam contra Hiſpanum & Turcam orationes leguntur.*

In L. Piſonem, cuius propoſitio: Tu vero Piſo in fortunarum & dignitatum mecum contentione, ad honores errore hominum obrepſiſti, in conſulatu, abitu, abſentia, reditu, ſcelera turpiſſima commiſiſti, & vitam privatam ac domeſticam omni viciorum genere commaculaſti. *Habet locum illuſtrem*

oratio

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

oratio, in perſonarum vituperationibus, maxime illis. quæ in demonſtrativo genere, à perſonæ moribus, & rebus ſcelerate geſtis ducuntur. Habet & locum oratio, ſi quis à quopiam ſub fortunarum collatione reprehenſus & exagitatus, ſuæ vitæ rationes cum alterius vitæ rationibus conferat.

Pro Cn. Plancio, cuius propoſitio: Cn. Plancius legitimè, non iniuria nec largitione, ædilis eſt factus, & Laterenſi prælatus. *Habet locum oratio in iure facti defenſionibus, in quibus perſonas conferimus, & populi favorem ac ſuffragia oſtendimus.*

Pro C. Rabirio Poſthumo, cuius propoſitio: Rabirius non accepit pecuniam ob rem iudicandam. *Habet locum oratio in Non facti defenſionibus.*

Pro T. Annio Milone, cuius propoſitio: Milo iuſtè occidit Clodium. *Habet locum illuſtrem oratio in iure facti defenſionibus, quibus lege, Tranſlatione & Remotione tueri rem conamur.*

Pro M. Marcello, cuius propoſitio: Nullam laudem ampliorem adeptus es Cæſar, præter eam, quam ex Marcelli reſtitutione habes. *Habet locum illuſtrem oratio, in factorum commendationibus, & Gratiarum actionibus.*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

P. Q. Ligario, cuius propoſitio: Ligarius communi errore & neceſſitate diutius in Africa ſubſiſtens, ne tibi Cæſar provincia traderetur, factum fatetur, & ſibi ignoſci precatur. *Habet locum oratio in defenſionibus Aſſumptivis, in purgationibus & deprecationibus.*

Pro Rege Deiotaro, cuius propoſitio: Deiotarus nullas vitæ tuæ Cæſar inſidias ſtruxit, necq; reliqua ipſi ad inſidias obiecta crimina commiſit. *Habet locum oratio in non facti defenſionibus. Poterit etiam locus eius eſſe in obiectionum quarumcunq; Refutationibus.*

Philippicæ quatuordecim, invectivas in Antonium continent, de quarum ſtatu & accomodatione conſilio quodam meo, peculiari ſcripto monebo.

Atq; hæ quidem oratorum principis Ciceronis extant publicatæ, & ſplendore mirifico ad ſenatum ac populum in roſtris & curia dictæ orationes, quæ ſi omnes & ſingulæ, ad gravem imitationem, in ſummam nudè & breviter cogantur, pertinebunt.

IN DELIBERATIVO GENERE AD CONSVLTATIONES: Oratio prima

ma in Verrem divinatio dicta. Quarta in Catilinam. Pars orationis altera pro Lege Manilia.

EXHORTATIONES: Oratio prima in Catilinam, pars orationis prima pro Lege Manilia.

SVASIONES ET DISSVASIONES: Oratio prima de Lege Agraria in ſenatu. Oratio ſecunda de Lege Agraria ad populum. Oratio quarta in Catilinam. Oratio de provincijs conſularibus.

IN DEMONSTRATIVO GENERE AD

FACTORVM commendationes & vituperationes: Oratio ſecunda in Catilinam. Oratio tertia in Catilinam, Pars ſecunda orationis pro Murena. Oratio poſt reditum in ſenatu. Oratio poſt reditum ad Quirites. Oratio pro M. Marcello.

GRATVLATIONES ET ACCLAMATIONES: Oratio in Catilinam ſecunda.

GRATIARVM ACTIONES: Oratio pro M. Marcello. Oratio poſt reditum in ſenatu.

PERSONARVM COMMENDATIONES: Oratio pro P. Sextio pro Archia Poeta.

PER-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

PERSONARVM VITVPERATIONES:
Oratio in Vatinium, Oratio in Piſonem, & Verrinæ ac Philippicæ pleræq́.

IN IVDICIALI GENERE AD

ACCVSATIONES, INVECTIVAS, CRIMINATIONES, INSECTATIONES: *Tertia, Quarta, Quinta, Sexta & Septima in Verrem, Orationis pro A. Cluentio pars aliqua, item Philippicæ pleræq́.*

DEFENSIONES NON FACTI: *Oratio pro Sexto Roſcio Amerino, pro Q. Roſcio Comædo, pro M Fonteio, pro A Cluentio. Oratio de Lege Agraria Tertia, pro C Rabirio perduellionis reo, pro Murena, pro Sylla, pro P. Sextio, pro L. Flacco, pro M. Cælio, pro Cn. Rabirio poſthumo, pro Deiotaro.*

DEFENSIONES IVRE FACTI: *Oratio pro P. Quintio, pro Archia, pro Domo ſua ad Pontifices, pro L Cornelio Balbo, pro Cn. Plancio, pro Milone.*

DEFENSIONES *Ex ſcripto & ſententia Oratio pro Cecinna, & de Aruſpicum reſponſis*

PVRGATIONES ET DEPRECATIONES: *Oratio pro Ligario.*

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

TIONES:
ſonem, &

ERE

TIVAS.
CTATIO-
. Sexta &
A. Cluentio
&.
FACTI:
o. pro Q.
o A Cluen-
, pro C Ra-
, pro Sylla,
Cælio, pro
ro.
FACTI:
ia, pro De
elio Balbo

& ſententia
m reſponſis
RECATIO

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 502 8°